190 Ultimò deducitur solutio hujus quæstionis, quam latissimè tractat *Flores de Mena in suis variis quæstionibus*, *quæst.* 10. *per totam*, an beneficium curatum potuerit uniri in temporalibus, & spiritualibus monasterio monialium per Pontificem, ita ut Abbatissa exerceat curam animarum per vicarium? Et quia optimè ipse eam tractat, breviter ejus sententiam referam, remittens lectorem ad ipsum. Et primò dicit *à numer.* 4. *usque ad* 7. potuisse sic uniri; quia etsi fœmina sit ineapax jurisdictionis spiritualis quod actum illam exercendi per se ipsam, est tamen capax quoad habitum, & potestatem nominandi vicario, per quos exerceatur, ut ibi latè probat, & solvit contraria, aliosque Doctores, & textus refert.

191 Secundò quærit *Flores de Mena ea quæst.* 10. an Episcopus in eo beneficio curato possit vicarium temporale, aut perpetuum instituere, juxta decretum *Trid. sess.* 7. *cap.* 7. *de reformat.* Et quidem si beneficium curatum sit unitum monasterio monialium, aut Collegio, aut alii operi pio, etiamsi unitum sit in temporalibus, & spiritualibus, cum privilegio nominandi vicarium ad nutum amobilem, potest Episcopus vicarium temporalem, aut perpetuum in eo ponere. Constat ex *disput. cap.* 7. ubi Tridentinum generaliter, & indistinctè loquitur, *non obstante quocumque privilegio*, & latiùs id probat *Flores de Mena ea. quæst.* 10. *num.* 36. *& tribus sequenti*. Fallit primò hoc, nisi beneficium unitum sit monasterio monachorum, aut mendicantium; tunc enim Episcopus non potest deputare pro ejus servitio perpetuum vicarium, sed ad nutum amobilem. Sic enim restrinxit Pius V. decretum hoc Concilii Tridentini in quodam motu proprio, incipienti; *Ad exequendum pastoralis officii debitum*; debent autem monachi nominare vicarium, & Episcopus examinare, & approbare. Sic *Flores de Mena eadem q.* 10. *n.* 40. dicens sic declaratum in Curia Romana, & à Congregatione Cardinalium. Secundò fallit quando unio facta est per viam pacti, & concordiæ cum clausula, *deserviendo beneficio per vicarium ad nutum amobilem*; acceditque huic concordiæ approbatio Romani Pontificis: tunc enim nequit Episcopus deputare vicarium perpetuum, quia Tridentinum in clausula derogatoria contenta in eo decreto, non meminit pacti, & concordiæ à summo Pontifice approbatorum, & ut his derogetur expressa mentione opus est, ut tenent multi, quos refert, & sequitur *Flores de Mena ea quæst.* 10. *numer.* 41. ubi hanc limitationem adhibet. Tertiò fallit, quando à tempore immemoriali unio facta est, & ex tunc constat vicarios fuisse ad nutum amobiles, scientibus, & consentientibus Ordinariis, & numquam vicarius perpetuus constitutus est: tunc enim nequibit Ordinarius perpetuum constituere, quia Tridentinum nulli consuetudini derogat, nedum immemoriali, quæ ad sui derogationem speciali mentione indiget, ut probat *Avendanno respon-so* 16. & generaliter in quacumque consuetudine tradunt multi, quos refert, & sequitur *Flores de Mena ead. q.* 10. *n.* 44. ubi hanc quoque limitationem statuit. Quartò fallit, nisi ex privilegio remunerationis gratia concesso beneficium esse unitum cum clausula ponendi vicarium ad nutum amobilem, quia in generali privilegiorum derogatione, quam apponit *Trident. eo. c.* 7. non clauduntur privilegia remunerationis gratia concessa, ut ut ex multis probat *Flores de Mena ea q.* 10. *n.* 46. ubi hanc quoque limitationem adhibet. Quintò fallit, si pro bono pacis, & cessatione litium, rectaque beneficii gubernatione expediret nil innovari, sed institui vicarium ad nutum amobilem; tunc enim nequit Episcopus perpetuum instituere, quia Trident. id non liberæ Episcopi voluntati reliquit, sed usum est verbis arbitrium boni viri denotantibus, ibi; *nisi ipsis ordinariis pro bono Ecclesiarum regimine aliter expedire videbitur*; atque ita docet *Flores de Mena ea q.* 10. *nu.* 47. Sextò fallit, quando particulariter, & per se fuit unità vicaria perpetua; tunc enim nequit Episcopus vicarium perpetuum instituere, quia Trident. non concedit ei facultatem tollendi unionem, sed assignandi vicarium beneficio parochiali unito; & sic docet *Flores de Mena ea quæst.* 10. *numer.* 48. Ultimò fallit, nisi ex privilegio Pontificio post Tridentinum decretum concesso unitum esset beneficium parochiale cum clausula instituendi vicarii ad nutum amobilis; tunc enim nequibit Episcopus contra id privilegium vicarium perpetuum constituere: quia cùm Trident. nequierit potestatem Pontificiam restringere, dum derogavit privilegiis, intelligitur de privilegiis ante id decretum concessis. Sic *Flores de Mena eadem quæst.* 10. *numer.* 49. & 50. ubi petit id privilegium ex certa sententia, aut motu proprio concessum esse, aut cum expressa Tridentini derogatione: quod per generalia derogationis verba non censetur derogari decretis Concilii generalis, ut latè probavi *lib.* 3. *de matrim. disput.* 36. *numer.* 7. Sed idem *Flores de Mena eo numer.* 50. hoc sublimitat, ut intelligatur etiam derogatum huic Tridentini decreto, si ex verbis privilegii constet eam fuisse Pontificis mentem: atque in dubio dicit eam esse præsumendam, eo quod hoc Trident. decretum satis notorium sit. Quod fortius probo, quia ea regula, ut desideretur specifica Concilii mentio ad ejus derogationem, fallit, quando Pontifex dispensat in speciali, & certo casu contra Concilii generalis prohibitionem, ut probavi *lib.* 8. *de matrim. disput.* 34. *n.* 17. Tandem benè animadvertit *Flores de Mena ea quæst.* 10. *num.* 51. in prædictis casibus, in quibus non est integrum Episcopo vicarium perpetuum in eo beneficio constituere, teneri curare, ut bene deserviatur beneficio, alias poterit cum vicarium perpetuum instituere, quia privilegium obejus abusum amittitur, ut ex multis ibi probat.

CAPUT XXX.

An si religiosus accepter absque superioris licentia pecunias in pauperes distribuendas, vel distribuat alii, quàm pauperi designato, sit reus voti paupertatis.

SUMMARIUM.

Quot quæstiones disputanda sint, *n.* 1.
Non est contra votum paupertatis, *quando dans pecunias designat pauperes*, *& quantitatem cuilibet distribuendam*, *n.* 2.
Quid si neutrum, *aut alterutrum solum designet? refertur quadam sententia*, *n.* 3.
Sententia Auctoris, *n.* 4.
Solvuntur argumenta, *nu.* 5.
Post n. 5. *invenies summaria*, *qua desiderantur.*

1 DUplex est tractanda quæstio. Prior est, quando dans pecunias religioso, ut eas in pauperes distribuat, non designat pauperes, quibus distribuendæ sunt, nec designat quantitatem unicuique pauperi elargiendam, sed utriusque, vel alterius electionem religioso committit, an tunc peccet religiosus contra votum paupertatis designando pauperem, cui eleemosyna conferatur, vel designando quantitatem eleemosinæ conferendæ? Posterior est, an peccet peccato furti, & contra votum paupertatis religiosus prædictam eleemosynam sibi applicans?

2 Et quidem quod attinet ad primam quæstionem, si dans pecunias, designet pauperes, in quos pecuniæ distribuendæ sunt, & designet quantitatem pecuniæ cuilibet elargiendam, nemini dubium est non peccari contra votum paupertatis, si religiosus acceptet, distribuatque absque superioris licentia, quod sit tunc nudus minister, & instar famuli justi ab hero suo portare eleemosynam aliquam certo pauperi erogandam; uterque enim nullam pauperum, aut quantitatis eleemosynæ electionem habet.

3 Punctus autem difficultatis eò pertinet, quando dans pecunias, non designat pauperes, nec eleemosynæ quantitatem cuilibet distribuendam, aut alterutrum solùm designat, atque adeò committitur religioso distribuenti electio pauperum, & quantitatis cuilibet largiendæ, aut alterutrius electio. Quidam doctissimi ex nostra Societate censent peccari contra votum paupertatis acceptando prædictam distributionem absque superioris licentia, & consensu. Ita innuit *Leonardus lib.* 2. *de justit. c.* 41. *dub.* 9. *n.* 78. *vers.* 40. his verbis; si est dispensator aliquarum rerum, non potest eas distribuere pro suo arbitratu, sed solùm ex præcepto, & mente superioris ita ut non det alia, nec pauciora, quàm scit superiorem velle, alioquin incurrit vitium proprietatis. Sed revera videtur loqui de dispensatione, qua nomine proprio dispensaret, vel distribueret res monasterii. Ducuntur primò, quia sola administratio absque dominio, usu, & usufructu habita absque superioris licentia, repugnat voto paupertatis, quod ex eo constat, quia peculium habens violat paupertatem, cùm tamen solam administrationem habeat. Secundò, quia *Navarr. comment.* 3. *n.* 28. *ad* 3. *objectionem*, *de regularibus*, canonicos regulares obtinentes portiunculas quotidianas, mensruas, vel annuas de licentia superioris ad proprios usus excusat à vitio proprietatis, quod votum non extendatur ad illud, sed ad hoc, ut non habeat administrationem sine licentia: & in solutione ad secundam objectionem ait tales habere proprium, quatenus proprium sonat peculium, seu facultatem administrandi de justa licentia rem alienam. Sentit ergo administrationem sine licentia superioris acquisitam repugnare paupertatis voto. Tertiò, ex *c. monachi*, *verb. qui verò*, *de statu monac.* ibi; *qui verò peculium habuerit*, *nisi ab Abbate fuerit ei pro injuncta administratione permissum*, *à communione removeatur altaris*. Ubi *Abbas nu.* 4. ait posse religiosos ex licentia Abbatis habere peculium, seu administrationem peculii. Atque ita textus, juncta Abbatis doctrina sentit administrationem peculii absque licentia adversari paupertati. Quartò, quia *in cap. exiit* §, *cæterorum cùm in eadem*, *vers. ita tamen*, *de verborum signif. in* 6. sic dicitur; *ita tamen quod penes ipsum dantem dominio*, *& proprietate*, *ac possessione ipsius pecuniæ cum libera potestate revocandi sibi pecuniam ipsam semper*, *usque ad conversionem ipsius in rem deputatam*, *plenè*, *liberè*, *ac integrè remanentibus*, *in ipsa pecunia nihil omnino juris fratres habeant*, *nec administrationem*, *seu dispensationem*. Si ergo hoc desideratur, ne Franciscani violent paupertatis votum, a fortiori violabitur in nostro casu, cùm religiosus hic non solam administrationem habeat, sed etiam possessionem, nec dans facultatem revocandi habeat. Et confirmatur, quia, si fiat exequutor testamenti, traditum sibi legatum pauperibus distribuendum est irrevocabile. Ergo saltem talis administratio erit contra votum paupertatis. Quintò, quia non est mera administratio, sed donatio sub modo facta religioso, sicut cùm

quis instituitur hæres sub fideicommisso, in quo eventu hæres efficitur verus, & directus dominus cum onere restituendæ hæreditatis, ut cum aliis tradit *Antonius Gomez* 1. *variarum c.* 5. *n.* 1. *in fine*, ea enim est modalis donationis natura, ut stat in transferat dominium in donatarium cum obligatione implendi modi *l.* 1. 2. *& in fine C. de donat. sub modo*. Verè enim pecunia illa donatur religioso, cum onere tamen distribuendi arbitrio suo pauperibus. At dominum inconsulto superiore acquirere repugnat voto paupertatis. Sexto, ex *Clemen. exivi* §, *denique de verborum signific.* ibi. *Quapropter præcipere*, *quod*, *& qualiter pecunia expendatur*, *computumque exigere de expensa*, *eam quomodocumque repetere*, *sive deponere*, *aut deponi facere capsulam pecuniæ*, *vel ejus clavem deferre*, *hos*, *& similes actus sibi fratres illicitos esse sciant*. Si ergo ista sunt contra votum paupertatis, à fortiori erit contra illud administratio pecuniæ. Septimò, quia talis religiosus, cui committitur pecunia pauperibus distribuenda, posset sibi, ut vero pauperi applicare, ut contra alios docet verior opinio. Non ergo est vera, seu mera administratio, & sic erit contra votum paupertatis. Octavò, quod ea administratio sit pretio æstimabilis: posset enim is religiosus, nisi personæ industria electa esset, transferre vendendo jus illud administrandi, licèt ab ijs, quibus pecunia distribuenda est, nihil possit recipere. Ergo religiosus eam acceptans infringit paupertatis votum, perinde ac si librum, vel rem aliquam pretio æstimabilem absque superioris licentia acceptaret. Nono, quia *Nav. comm.* 2. *de regularib. n.* 57. *vers.* 15. *Manuel* 2. *to. summæ c.* 31. *nu.* 3. *Ludovicus Lopez* 1. *p. instruct. c.* 155. *vers. igitur*. *Corduba summ. qu.* 54. *vers. y portanto*. *Navarr. lib.* 3. *de restitutione c.* 1. 3. *p. l.* 1. *in nova edit. num.* 167. dum de voto paupertatis agunt, tractant an possit religiosus esse exequutor testamenti, quasi censentes hoc ad votum paupertatis pertinere. Et confirmatur, quia *Navarr.* ibi docet non posse religiosum testari de bonis alienis ex domini licentia; & eam rationem reddit, quod jus id testandi sit quoddam jus temporale: at religiosus juris temporalis est incapax. Cùm ergo jus administrandi sit temporale, erit similiter illius incapax. Decimò, quia *c.* 2. *de testamentis*, *in* 6. dicitur, religiosum non habere velle, & nolle: & immò non posse esse testamenti exequutorem. Sed hoc est voti paupertatis fundamentum; sicut enim per obedientiæ votum se, ac suas actiones voluntati superioris religiosus subjicit, sic per paupertatis votum subjicit eidem velle, & nolle, quo ad omnes commoditates, quas ex pecunia percipere poterat; & quoad ea, quod pecunia æstimabilia sunt. Et confirmatur, quia communiter Doctores tradunt adversari voto paupertatis, religiosum aliquid habere ad expendendum cum aliis absque superioris licentia. Undecimò, ex *c. non dicitur* 12. *q.* 1. quod est desumptum ex D. August. ubi de religiosis dicitur, certum esse eos nihil habere, possidere, dare, vel accipere sine superioris licentia posse; Ubi non tamen interdicitur possidere, sed etiam habere. At possidere est civiliter, seu de jure tenere. Habere autem est superius: comprehendit enim renere de facto, vel de jure, ut tradit *Bart. l. stipulatio ista* §. *hac quoque*, *inst. ff. de verb. oblig.* Ergo tenere de facto ad distribuendum aliis, repugnat paupertatis voto. Duodecimò, ex motu proprio Pii V. *ad extirpandas*, ubi abusus in paupertatis votum reformans, loquens cum conventuum magistris, & custodibus sic ait: *Nullus omnino administrationem bonorum*, *dispensationemque pecuniarum*, *& redditnum sua custodiæ*, *vel domus*, *etiam nomine conventus habere*, *sive exercere*, *vel sese in eis interponere possit*, *sed universum id onus trium religiosorum curæ demandetur*. *Primus rerum*, *& bonorum custodiæ*, *sive domus inferendorumque in eam redditnum curam habeat*: *alter tamquam depositarius pecunias asserveat*; *alter provideat de necessariis*. Ubi Pontifex ad paupertatis voti custodiam ponit hos tres actus, Ercurequæ, asservare, & expendere. Ergo asservare pecunias, & earum administrationem habere, repugnat voto paupertatis. Decimotertio, ex *Trid. ses.* 25. *c.* 2. *de regularib.* ubi interdicitur religiosis bona immobilia, vel mobilia, cujuscumque qualitatis fuerint, quovis modo ab eis acquisita, tamquam propria, aut etiam nomine conventus possidere, vel tenere; & paulo inferiùs sic dicitur: *Nec deinceps liceat superioribus*, *bona stabilia alicui regulari concedere etiam ad usumfructum*, *vel usum*, *administrationem*, *aut commodum*. Ubi Tridentinum statuit inter adversantia voto paupertatis administrare, vel possidere nomine conventus: nam titulus illius capitis est de voto paupertatis integerrimè servando. Decimoquarto, quia ideo diximus *c.* 28. *n.* 1. adversari voto paupertatis recipere in Societate JESU stipendium pro sacris faciendis, quod id specialiter in ejus regulis interdictum sit. Cùm ergo similiter in eisdem interdicatur administrare pecunias, vel eas in sua potestate habere, ut *regula* 22. sacerdotum, & *regula* 6. inter communes, & *regula* 7. peregrinorum, & *regula* 29. præfecti Ecclesiæ; & *regula* 2. procuratoris Collegii, quib. interdicitur nostris petere, aut recipere absque superioris licentia aliquid inter pauperes distribuendum, adversabitur hoc voto nostræ paupertatis. Decimoquartò, quod actus proprietatis sit, quoties aliquid celatur Abbati, & tenetur contra ejus voluntatem, ut diximus *c.* 19. *n.* 60. At in hoc eventu recipiuntur pecuniæ in pauperes distribuendæ, ac tenentur invito superiore, ipsique celantur; ergo est proprietas voto repugnans. Tandem, quia fratribus Minoribus ratione voti paupertatis nullatenus integrum est pauperes eligere, quibus pecunia distribui jussa à testatore in pauperes eligendos per fratres Minores eregetur, ut tenent multi Doctores, quos retuli suprà. At in hoc eventu religiosus habet electionem pauperum; ergo violat paupertatis votum.

4 His tamen non obstantibus, mihi persuadere nequeo, id esse adversus paupertatis votum, meamque sententiam approbarunt viri doctissimi nostræ Societatis, & externi à me consulti. Ducor, quod religiosi per votum paupertatis nil aliud voveant, quàm oppositum ei, quod in iis cernimus, qui sunt domini, vel proprietarii, ut probavimus suprà. At religiosus hic non retinet, nec accipit eas pecunias tamquam proprias, nec tamquam dominus, sed ut nomine alieno, nempe tradentis, det pauperibus. Non ergo exercet aliquem, dominii, aut proprietatis actum, vel sic reus sit paupertatis promissæ. Dices eum esse dominum juris administrandi, idque esse independenter à superioris voluntate. At hoc non obstat, quia (ut bene docet *Navarrus commentar.* 1. *nu.* 14. *de regularibus*) jus administrandi non est dominum, nec usufructus, nec usus, sed jus disponendi de re aliena nomine alieno, & juxta ipsius præscriptum, ac propriè non potest dici dominium illius juris. Et confirmatur, quia si quis relinqueret mille aureos distribuendos in pauperes, quos religiosus eligeret, nemo diceret religiosum illum esse proprietarium, & dominum juris eligendi, ac proinde violare paupertatis votum eligendo absque superioris licentia. Atque ita Doctores eam electionem interdictam Franciscanis asserentes, non ducuntur, quod ea repugnet paupertatis voto, sed quod ea cura sit pars executionis testamenti ipsis interdictæ, & repugnet perfectæ rerum temporalium alienationi, quam ipsi profitentur. Immo verior sententia habet id non interdici Franciscanis, eo quod electio hæc non sit quid juris, sed meri facti, ut satis probavimus suprà. Secundò ducor, quia non quæcumque possessio, & administratio pecuniarum adversantur paupertatis voto, sed quando sunt quid juris, nempè quando religiosus administrat nomine proprio independenter à superiori; secus quando sunt quid solius facti, quia non nomine proprio, sed alieno administrat, ut diximus suprà. At in hoc eventu religiosus non nomine proprio, sed solius dantis administrat. Non ergo violat paupertatis votum. Tertiò, quia in hac dispensatione hæc sola quatuor inveniuntur, receptio pecuniæ, facultas eligendi pauperes, iplorum electio, distributio inter illos. At nihil horum est contra votum paupertatis. Non receptio pecuniæ, quia religiosus non recipit sibi, nec ut in usus proprios aliquid convertat, nec cum libera convertendi in quoscumque usus, aut proprios facultate, quod petunt dominium, & proprietas: sed ut nomine testatoris in pauperes distribuat. Nec posset virtute illius facultatis aliquid sibi tamquam vero pauperi applicare, ut probavimus *numero* 6. & esto posset, religiosus hic non habet animum sibi applicandæ partis illius eleemosynæ absque superioris licentia, seu facultate. Nec etiam adversatur paupertatis voto facultas eligendi pauperes: quippe hoc nil aliud est, quàm jus nominandi pauperes, in quos eleemosyna distribuantur, quod nil juris esse, sed meri facti probavimus supra: & esto id nominandi pauperes jus sit vendibile, ac pretio æstimabile, at non acceptat religiosus jus illud, ut pretio æstimabile, & ad vendendum. Sicut religiosus intercedens pro aliquo apud Judicem sæcularem, vel ad petitionem alicujus scribens ejus nomine epistolam absque superioris licentia, non peccat contra paupertatem, etsi uterque actus sit pretio æstimabilis: non enim illos actus exercet, ut pretium aliquod inconsulto superiori participet. Sic in præsenti eventu religiosus non acceptat jus id ad vendendum, vel ad convertendum in usum proprium, qualiter acceptat librum, & rem alienam pecunia æstimabilem; sed acceptat pecunias nomine alterius pauperibus distribuendas, instar meri administratoris solam pauperum administrarionem habens. Nec ipsa pauperum electio adversatur paupertatis voto, quia si id eligendi jus non adversatur, à fortiori nec ipsa electio, quæ exercitium juris illius est. Nec denique ipsa pecuniarum in pauperes distributio est contra hoc votum, quia religiosus non distribuit nomine proprio, sed dantis, nec ipse censetur aliquid conferre, sed dans, ut constat ex *l. unum ex familia*, §. *si de falcidia*, *ff. de legat.* 2. Tandem hanc partem confirmabit solutio argumentorum contrariæ partis, quæ illam non probant.

5 Ad rationes contrarias *nu.* 2. propositas respondetur. Ad primam negatur antecedens, nec est verum religioso habenti peculium solam administrationem competere: quippe merus administrator nequit rem in proprios usus convertere. At peculium convertitur in proprios habentis usus. Ad secundam dic, eam non esse meram administrationem, quæ non contineat usum; sed continet usum, id est, facultatem disponendi de iis portiunculis ad proprios usus, & sic repugnat voto paupertatis, quando deest superioris licentia. Ad tertiam dic, textum, & Abbatem loqui de administratione peculii habenti conjunctum usum. Ad quartam responderi posset, nil probare, quia illud est speciale in voto paupertatis Franciscanorum; vovent enim paupertatem cum ea conditione, ut dominium pecuniæ maneat omnino apud dantem. Nec ideo is, qui dedit, non potest revocare quod sit aliquod jus religioso acquisitum, sed pauperibus, ad quorum commodum, & ut in ipsos di-

ſtribuatur, acceptavit. Verùm hæc ſolutio mihi non placet: nam concludit primò; quod in his fratribus Franciſcanis eſſet contra votum paupertatis. Item, quia cùm pauperes non acceptarint, non habent jus; & ita deberemus dicere, ſi dans nequit revocare, eſſe propter jus illud acquiſitum monacho diſtribuendi eas pecunias. Et ideo melior ſolutio eſt, negando non poſſe revocare: quia religioſus nullum acquiſivit jus, cùm ea adminiſtratio ſit meri facti, nec pauperes, cùm nondum acceptarint, nec religioſus ille ſit perſona legitima ad acceptandum nomine ipſorum. Ad confirmationem fateor, id legatum eſſe irrevocabile: & id non contingit ob jus religioſo acquiſitum, ſed quia hæres lege juſtitiæ tenebatur implere legata; atque ita nequit illa revocare, ſicut nec poteſt revocare legatum ſacrum Franciſcanis, ac illis traditum. Ad quintam dic, eſſe donationem ſub modo; non enim eſt animus donandi religioſo, ſicut nec exequutori teſtamenti, ſed mera diſtributio committitur utrique. Ad ſextam dic, ea omnia interdici Franciſcanis citra pecunias illis erogatas ad proprios uſus, videtur enim quædam proprietas diſſonans perfectioni paupertatis, & alienationis à rebus temporalibus, quam ipſi profitentur: & ideo vult Pontifex ea omnia per Syndicos exerceri. At in noſtro caſu eſt mera adminiſtratio eleemoſynæ pauperibus erogandæ nomine dantis. Ad ſeptimam, & octavam conſtat ex noſtra tertia ratione, quia *num. præcedenti* uſi ſumus ad probandam noſtram ſententiam. Ad nonam dic, id nihil probare, quod de multis ad paupertatis perfectionem attinentibus ibi agant; & fateor ad paupertatis perfectionem ſpectare, ut religioſus ab hac ſe adminiſtratione abſtineat, ſuperioris conſenſus accedat. Ad confirmationem dic, eam doctrinam non obſtare, quia ſimiliter probare, non poſſe etiam de ſuperioris licentia, quod à veritate prorſus eſt alienum. Nam eo modo teſtari poſſe religioſum de ſuperioris licentia negat etiam *Navarr.* ibi, redditque diſparitatis rationem: quia cùm diſpenſat de licentia, & executio, & diſpenſatio innituntur perſonæ alterius, & ejus nomine fiunt. Teſtamentum autem innititur perſonæ propriæ, & fit nomine proprio. Ad decimam dic, non interdici id munus religioſis, quaſi adverſum paupertatis voto, ſed ob votum obedientiæ, quo abdicarunt à ſe velle, & nolle, & ideo hanc rationem reddit ibi textus; *atque votum paupertatis ſubjicit religioſus Prælato voluntatem, quoad omnem rem pratio æſtimabilem convertendam in proprium uſum, aut nomine proprio alteri conferendam, ſecus ad diſtribuendam nomine dantis*. Ad confirmationem dic, id intelligi, quando nomine proprio eſſet expanſurus in alios, ſecus quando nomine dantis. Ad undecimum dic, in eo textu multa poni ad ſolam paupertatis perfectionem ſpectantia quippe ibi interdicitur religioſis dicere meum, & tuum, & epiſtolas recipere, cùm tamen hæc non adverſentur paupertatis voto. Ad duodecimam dic, eum motum proprium agere de iis, quæ conventui, aut alicui privato ad proprium uſum dantur, ibi; *pecunia verò, vel quacumque alia res, quæ cuiquam privatim etiam intuitu perſonæ, & undecumque donata, aut relicta fuerint*, non autem de iis, quæ religioſus recipit alieno nomine diſpenſaturus. Ad decimam tertiam dici cum Tridentini locum non adverſari noſtræ ſententiæ, quia etiam de ſuperioris licentia prohibet adminiſtrationem ibi interdictam, cùm tamen nemo dubitet licere hanc diſtributionem in pauperes ex ſuperioris licentia. Quare, ut bene ait *Navar. commentar. 2. n. 15. verſ. ad 4. & ad 5.* intelligitur id decretum de adminiſtratione, & nomine alieno, ut pecunia convertatur in commodum ipſius religioſi cum libera facultate diſponendi ad libitum. Ad decimamquartam dic, illam ſtipendii promiſſi receptionem non eſſe contra paupertatis Societatis JESU votum, ex eo ſolùm quod interdicatur in regula; ſed quia expreſsè interdicitur, tamquam quid paupertatis voto repugnans, ut amplius explicuimus *cap. 28. n. 1.* At dum prohibetur in ejuſdem regulis receptio pecuniarum ad diſtribuendum in pauperes, non interdicitur tamquam quid paupertati adverſum, ut conſtat ex *regula* 22. ſacerdotum, ubi ſimplicibus verbis, nulla paupertatis mentione facta, regula utitur. Quare regulæ omnes hoc interdicentes non id interdicunt, quaſi verè ſit contra paupertatem, ſed contra ſimplicem regulæ prohibitionem, & paupertatis perfectionem. Ad decimamquintam dic, id eſſe verum, quando illud poſſidetur tamquam proprium, ſecus quando poſſidetur diſtribuendum nomine alieno. Ad ultimam conſtat ex prima ratione adducta *num. præcedenti*, qua noſtram ſententiam confirmavimus.

SUMMARIUM.

An petens eleemoſynam pauperi in genere, vel pauperibus, poſſit ſibi applicare? num. 6.

An peccet in votum paupertatis ſibi applicans, & ſi abſque licentia applicavit poſſit dare in aliis pauperibus, vel quid teneatur facere? num. 7.

Quid quando petit determinato pauperi? refertur quædam ſententia, num. 8.

Explicatur ſententia auctoris, & an ſaltem de conſenſu dantis poſſit dari alii pauperi? nu. 9. 10. 11. & 12.

An religioſus hanc eleemoſynam applicans alteri pauperi abſque licentia, peccet contra votum paupertatis? n. 13.

An exigatur quoque ad revocationem hujus eleemoſynæ conſenſus ejus, cui data eſt, & peccet adverſus votum paupertatis religioſus abſque licentia conſenſum illum præſtans? numero 14.

6 QUæſtio poſterior. An delinquat peccato furti, & contra votum paupertatis religioſus qui eleemoſynam à ſe pauperibus, aut alicui determinato pauperi petitam applicat ſibi, aut alii pauperi? Et quidem ſi nomine pauperis generico quiſpiam petet eleemoſynam, ut ad dandum pauperi, vel pauperibus, animo eam ſibi retinendi, cum verè pauper ſit, nullius culpæ eſt reus, quia dantis intentio eſt, ut vero pauperi applicetur, & re vera ita applicatur. Atque ita docent *Nav. libro 3. conſil. tit. de mendicantibus*, quem immediatè ponit *poſt tit. de regularibus conſilio unic. numero unic. tomo ſumm. in 2. editione cap. 202. numero 2.* Atque idem credo, quamvis non haberet tunc animum ſibi retinendi, ſed dandi pauperibus: quia ea intentio, utpote quæ interiùs latitat, nullum iniri cum dante pactum efficit, nec jus aliquod aliis pauperibus ſe excluſo acquiri.

7 Hinc deducitur, nec peccare in votum paupertatis hunc ſibi applicantem, ſi religioſus eſſet, modò ex ſuperioris tacita, aut expreſsa licentia id faciat: ſecus ſi abſque licentia. Quia in priori caſu legitimè ſibi applicat, in poſteriori autem uſurpat aliquid tamquam proprium abſque ſuperioris licentia. Quare non tenetur, immo nec poſſet dare jam aliis pauperibus: eo enim ipſo, quod ſibi applicavit, eſt acquiſita monaſterio; ſed tenetur vel monaſterio tradere, vel petere retinendi licentiam à ſuperiore, quemadmodum ſi ex domini voluntate aliquid aliud abſque ſuperioris licentia ſibi acceſſiſet.

8 Punctus autem difficultatis eſt, quando petiit determinato pauperi. *Navarr. & Manuel num. 6.* allegati cenſent teneri hunc dare illi determinato pauperi, cui eleemoſynam petiit, ac proinde ſibi, aut alii cuicumque pauperi applicantem teneri reſtituere, quod alteri impertiatur contra domini voluntatem, qui determinato illi pauperi dedit.

9 Cæterùm pro plena hujus quæſtionis reſolutione varios caſus diſtinguere oportet. Primus eſt, quando ex Epiſcopi, aut ejus Vicarii licentia petitur eleemoſyna pauperi alicui determinato; & in hoc caſu placet ſententia *Navarri, & Manuelis* allegatorum *num. præcedenti*, dicens eam eleemoſynam non poſſe alteri pauperi applicari. Immo credo nec ex conſenſu illius, qui jam illam largitus eſt, poſſe alteri pauperi applicari, quamvis pauper, pro quo petita eſt, ſit ignarus licentiæ, nec ad inſtantiam ejus ſit eleemoſyna petita; quia eo ipſo, quod eleemoſyna hæc largita fuit, & à petente acceptata, acquiſitum fuit jus pauperi illi determinato, cui petita eſt. Quippe cùm Epiſcopo, & ejus vicario pauperum, & piorum operum cura incumbat, ut conſtat ex *cap. 3. de teſtament. & ex Trident. ſeſſione 22. c. 8. & 9. de reformat. & ſeſſione 23. c. 1. paulò poſt princip. de reformat.* Epiſcopus, & vicarius ſunt legitimæ perſonæ ad acceptandum opus quodcumque pium, cujus acceptandi nomine pauperis poteſtatem cenſentur dare, quoties concedunt facultatem petendi eleemoſynam illi.

10 Secundus caſus eſt, quando ea eleemoſyna petitur atiam abſque prædicta licentia ad illius pauperis determinati inſtantiam, & tunc cenſeo idem penitus, quod dixi in caſu præcedenti: nam eo ipſo, quod committit pauper, ille huic, ut eam eleemoſynam petat, cenſetur illi committere poteſtatem acceptandi, ut ex multis probavi *lib. 1. de matrimonio, diſp. 6. n. 29.* ac proinde ſtatim ac illam acceptat, acquiritur jus illi pauperi determinato. Et hoc intelligo verum, quamvis nullam pauperis illius determinati neceſſitatem repræſentet, quia quamvis ex mea præciſa petendi illi pauperi intentione, nullum ei jus acquiratur; at utique acquiritur, eo quod non nomine, & commiſſione illius petierim, retinenſque intentionem petendi illi.

11 Tertius caſus eſt: quando petens eleemoſynam petiit motu proprio, & abſque Ordinarii licentia, & exprimit nomen pauperis, cui eleemoſynam petiit, aut ſpecialem ejus dignitatem, v. g. quod in carcere incluſus ſit, vel orphanus, vel lecto careat, vel dote fœmina careat in matrimonium collocanda, aut morbo laboret, &c. Et tunc exiſtimo non integrum eſſe huic petenti, elargiri eam eleemoſynam alteri pauperi abſque eam elargientis beneplacito, non quod jus pauperi illi acquiſitum ſit, ſed quia eſt contra dantis intentionem, qui determinato illi pauperi, quem petens propoſuit, eleemoſynam erogavit; & cùm determinata fuerit perſona expreſſis illis conditionibus ſpecialibus non poteſt dari alii perſonæ ſimilem neceſſitatem patienti: quia etſi neceſſitas illa ſit motivum principale, &c. at fuit data eleemoſyna ei individuæ perſonæ ſignatæ ſub illis conditionibus individuantibus à petenti propoſitis; ſicut ſi legatum relictum eſſet illi perſonæ ad inſtantiam hujus, nequiret ſimilem neceſſitatem patienti dare. Et idem credo ſi hic peteret generaliter detentis in carcere, vel captivitate, orphanis, aut ſpecialem aliquam indigentiam patientibus. Ducor eadem ratione. Item, quia nullus dubitat legatum iis relictum non poſſe in aliorum pauperum uſum converti: at poſset utique ex licentia dantis, quia cum hic recipiens nullam poteſtatem habe-

at ac-

at acceptandi nomine pauperis illius determinati, aut illorum pauperum, ea eleemoſyna tamquam nondum acceptata à parte legitima, poteſt ex conſenſu dantis revocari, juxta ſententiam probabilem, quam retulimus *lib. 1. de matrim. diſp. 7. nu. 10.* dicentem etiam favore cauſæ piæ non poſſe quemquam pro alio ſtipulari: *eadem lib. 1. diſp. 6. nu. 16.* ubi defendimus etiam in donatione facta cauſæ piæ exigi acceptationem, ut irrevocabilis reddatur.

12 Ultimus caſus eſt, quando proprio motu, & abſque vicarii Epiſcopi licentia petita eſt eleemoſyna pauperi determinato, non expreſſo ejus nomine, ullave ſpeciali ipſius indigentia. Et tunc exiſtimo eam eleemoſynam poſſe alteri pauperi applicari, vel à petenti, ſi verè pauper ſit, retineri, quia cùm nulla ſpecialis cauſa duxerit dantem ad eam eleemoſynam, ſed ſola generalis paupertatis, non videtur ita eam præcisè dediſſe ut ſit illi determinato pauperi, quem petens intendit, elargienda, & cenſetur petenti diſtributionem in pauperes committere.

13 Quamvis autem in prædictis caſibus, in quibus diximus eleemoſynam non poſſe alteri pauperi applicari, ſi religioſus, cui tradita eſt, alteri applicaret non delinqueret in paupertatis votum, ſed ſolius furti reus eſſet: quippe nihil ſibi acquirit, nec acquiſitum monaſterio is detrahit, ſed ſolùm contra domini voluntatem rem alienam diſtribuit, quod ſolam furti malitiam habet.

14 Tandem rogabis, an caſu, quo ex conſenſu dantis poſſit revocari ea eleemoſyna, eo quod à parte legitima nondum ſit acceptata, exigatur quoque conſenſus eam accipientis, & ſi conſenſus hic à religioſo eam accipiente præſtetur abſque ſuperioris licentia, ſit contra votum paupertatis. Sic diſtinguendum cenſeo: ſi pauperi determinato tradita ſit, juxta dicta *nu. 11.* tunc nullo recipientis conſenſu opus eſt, quod recipiens in hoc eventu ſe habet inſtar meri organi, per quod eleemoſyna tranſit, nullamque illius diſtributionem habet. Si autem errogata eſt pauperibus in genere, aut pluribus, aut detentis in carcere ita ut diſtributio aliqua arbitrio recipientis commiſſa eſſet, utpotè qui aliquos ex illis eligere poſſet, vel quibuſdam amplius, aliis parciùs elargiri, tunc revocatio indigeret quoque conſenſu recipientis, quod jus illius diſtributionis ſit eiacquiſitum, quo invitus privari nequit. At religioſus huic revocationi aſſentiens abſque ſuperioris licentia, non delinqueret in paupertatis votum, quia nil ſibi proprium efficit nec jure aliquo acquiſito monaſterio cedit, cum id diſtributionis jus perſonale ſit; ut probavi in executoribus teſtamenti.

CAPUT XXXI.

Qualiter monaſterium ex contractu, aut delicto religioſi obligetur, & qualiter ii contractus ſint prorſus irriti, nec ipſemet religioſus ex illis teneatur.

SUMMARIUM.

Quod quæſtiones ſint diſputandæ, nu. 1.

An monaſterium ſuccedens in religioſi bona, teneatur ſtare illius contractibus, & debita ſolvere ante profeſſionem contracta, & ad alimenta iis, quibus tenebatur monachus? nu. 2.

An teneatur ad id ultra hæreditatis vires? nu. 3.

An teneatur monaſterium ex bonis poſt profeſſionem acquiſitis hæc debita perſolvere, nec quidquid acquiris monachus aut alieno oppreſſus, acquirat monaſterio? num. 4.

An monaſterium ſuccedens in bona profeſſi, teneatur implere omnia, quæ profeſſus diſpoſuit ante ſuam profeſſionem, & comperat actio profeſſo ad hoc petendum? nu. 5.

An monaſterium ſuccedens in bona conjugis, teneatur alere conjugem in ſæculo relictam, de cujus licentia alter profeſſus eſt? Refertur quædam ſententia, nu. 6.

Sententia auctoris, num. 7. & 8.

An monaſterium teneatur ad contractus initos à religioſo poſt profeſſionem, aut debita ab eo tunc contracta? nu. 9.

Quid ſi religioſus ille ſit Prælatus religionis? nu. 10.

An monaſterium teneatur ex delicto Prælati? nu. 11.

Quid ſi religioſus communicato conſilio cum Capitulo, & lato id delictum admittat, vel peculium habeat? & ibi, an delictum Prælati, & Capituli nocent Eccleſiæ? nu. 12.

Quid ſi Prælatus mutuat ad malè diſſipandum, vel poſtea malè diſſipet? nu. 13.

Quid ſi religioſo illi ſit tacitè, aut expreſsè adminiſtratio commiſſa? nu. 14.

An monachus exiſtens in ſobolis, vel in alio negotio poſſit pro expenſis obligare monaſterium? nu. 15.

An poſſit obligare libros, vel alias res pro his expenſis, vel pro alio fidejubere? nu. 16.

Quid ſi id manu acceptum excedat expenſus mitti ſolitas? numero 17.

Quid ſi exceſſus fuit ratione morbi, aut alterius cauſæ juſtæ? num. 18.

An hæ expenſæ factæ pro morbo religioſi exiſtentis in ſtudio ſint exigenda à patre monachi, an potius à conventu? nu. 19.

An poſſent obligare monaſterium, ſi non ſit expenſis illius in ſtudio? nu. 20.

Quid ſi religioſus ille ſit in ſtudio, vel alio negotio abſque ſuperioris licentia? numer. 21. & coram quo ſit conveniendus. ibid.

An religioſus malè expendens mutuum gaudeat beneficio Macedoniani, idque habeat locum in foro conſcientiæ? nu. 22.

An monachus, aut monaſterium teneantur pecunia apud ſe depoſita, & religioſus, qui non eſt ſolvendo damnum à ſe illatum debeat dari pro noxa? remiſſivè, nu. 23.

An monaſterium, vel religioſus poſſit cedere bonis? nu. 24.

An actio intentanda ſit contra monachum debitorem, aut potiùs contra monaſterium remiſſivè, nu. 25.

An monaſteria gaudeant privilegio miſerabilium perſonarum? numero 26.

Poſt num. 26. invenies alia ſummaria.

1 TRiplex quæſtio diſputanda eſt. Prima. Qualiter monaſterium ex contractu, aut religioſi debito obligetur. Secunda. An ii contractus abſque ſuperioris licentia initi, ſint prorſus irriti? Ultima. An ſaltem ipſemet religioſus obligetur naturaliter ex eo contractu, aut ejus fidejuſſor.

2 Quæſtio prima. An monaſterium obligetur ex contractu, aut delicto religioſi? Qua in re diſtinguendum eſt de contractibus ante religionis profeſſionem à religioſo initis, aut debitis tunc contractis, ſive ex delicto, ſive abſque illo & de initis, aut contractis poſtea. Et quidem ſi de prioribus loquamur, certum eſt teneri monaſterium in ejus religioſi bona ſuccedens; quod univerſi fatentur, cum id ſit commune unicuique bonorum ſucceſſori, ut aſtringatur ære alieno ejus, cui ſuccedit; ac proinde tenetur monaſterium alimenta miniſtrare iis, quibus tenebatur monachus *Covar. 4. decretalium 2. p. c. 28. §. 6. num. 14. Molina lib. 2. de primogeniis c. 15. num. 43.* & loquens de patre, & filiis profeſſis tenet *Surdus de alimentis tit. 1. à nu. 1. uſque ad 10.* & idem tenetur de reliquis dicere, quia ea ratione id probat, quod monaſterium teneatur ad omnia ingreſſi onera. Quę ratio probat idem de reliquis, quos ingreſſus tenetur alere.

3 Quidam autem cenſent fortè teneri monaſterium ea debita in integrum ſolvere, quamvis hæreditatis vires excedant, etſi integrum monaſterio ſit reſtitutionem patere; & hoc inquiunt fortè eſſe veriùs tenendo monaſterium jure quodam ſucceſſionis univerſalis in religioſorum bona ſuccedere. Sic *Angelus ſumma verb. religioſus num. 59. Sylveſt. verb. religio 6. qu. 2. Tabiena verb. religio 9. 39. num. 40.* Cæterùm omninò tenendum eſt, dumtaxat teneri monaſterium juxta vires bonorum, quæ ex illo religioſo acquiſivit, tum quia, non eſt verùm ſuccedere jure illo ſucceſſionis univerſalis, ut diximus ſuprà, tum etiam quia cùm hanc obligationem monaſterium ſubeat ratione eorum bonorum, amplior eſſe debet quantitate eorum bonorum. Atque ita docent *Abb. c. in præſentia, num. 77. de probationibus. Roſella in ſumma verb. Abbas fin. Sylv. verb. religio 8. quæſt. 3. Roſellus authent. ingreſſi, num. 22. C. de ſacroſanct. Eccleſ.* & ibi *Tapia verb. ſua c. 18. nu. 2. Molina t. 1. de juſtitia diſput. 140. col. 2. verſ. eo ipſo.*

4 Sed major difficultas eſt, an teneatur monaſterium debita hæc perſolvere ex bonis, quæ non jure hæreditario legitimo acquiſivit ratione profeſſi, ut ſi poſt profeſſionem aliquid religioſus donatione, legato, vel hæreditate teſtamentaria, vel ſua opera, & induſtria comparavit? Videtur enim non teneri, quia hæc non religioſo, ſed ipſi religioni acquiruntur: quidquid enim religioius acquirit, non ſibi, ſed religioni comparat. Cæterùm dicendum eſt, teneri monaſterium ex bonis quocumque eorum modorum acquiſitis ſatisfacere his debitis; quippe regula illa, quicquid acquirit religioſus acquirit ſuo monaſterio, intelligitur, niſi religioſus ille oppreſſus ære alieno ſit ad profeſſionem admiſſus: tunc enim non monaſterio, ſed creditoribus acquirit quidquid arte, labore, induſtria, hæreditate, vel donatione comparat; quia cùm per profeſſionem nullatenus jurì creditorum derogatum ſit, ſicut ante profeſſionem tenebatur religioſus hic ex his bonis ſolvere creditoribus, ita monaſterium in ea bona ſuccedens tenebitur. Atque ita docent *Felinus c. cum I. & A. nu. 10. de ſententia, & re judicata Bertrandus conſ. 22. num. 5. vel. 7. Monaldus conſ. 30. num. 6. & 8. vol. 2. Azor. tom. 1. inſtit. moral. lib. 12. c. 10. q. 8.* & videntur tenere *Tapia eo c. 18. num. 3. & Molina num. praced. allegatus*; dicunt enim generaliter, & indiſtinctè teneri monaſterium hæc debita ſolvere ex bonis, quæ ratione religioſi illi obvenere, vel in futurum obvenient. Hoc autem temperat *Bertrandus* ibidem, niſi in religione incapaci bonorum in communi, ut in ordine fratrum Minorum, quia hi religioſi non ſic acquirunt ſuo monaſterio. At hæc limitatio non admittenda eſt, quia acquiſita donatione, aut legato, aut ſuis operis, eſt verius acquiri monaſterio, ut diximus ſuprà.

5 Hinc deducitur ſi religioſus ante profeſſionem aliquid diſpoſuit ad pias cauſas, vel aliter, aut prohibuit bona alienari, aut vendi, teneri monaſterium id ſervare, quia cùm ea diſpoſitio tempore habili facta ſit, ac proinde valuerit, non eſt integrum monaſterio aliquid immutare. Sic tradunt *Innocentius c. in præſentia num. 5. de probationibus*, & ibi

ibi Hostiensis num.8. ad fin. Joannes Andreas num. 18. Antonius nu.28. Bellamera nu.18; Jason. authent. ingressi nu.44. C. de sacrosanct. Eccles. adduntque *Innocentius, Hostiens. Joan. Andr. Ant. & Bellamera*, nullam hoc exigendi competere professo actionem, sed Prælatos id ex officio facturos.

6 Hinc deducet aliquis, monasterium succedens in bona conjugis teneri alere conjugem inopem in sæculo relictum ejus, qui ingressus est ipso consentiente religionem, quia tenetur ad alimenta filii, & patris pauperum religionem ingredientium, si in bona filii succedat. Secundò, quia monasterium succedens in bona monachi tenetur ad omnia ingressi onera, illisque oneribus affecta ea capit, ut diximus *nu.3.* At onus alendi conjugis inopis competit alteri habenti bona: ergo tenetur ad hoc onus. Atque ideo hanc partem sustinent *Joannes Andreas additionib. ad Speculatorem tit. qui filii sint legitimi, §. 1. nu.14. Lara l. si quis liberis, §. si quis ex his, nu.16. ff. de liberis agnoscendis.*

7 Cæterùm dicendum est, ad id non teneri, quod latissimè probat *Surdus de alimentis tit. 1. q.37. à num.3. usque in fin.* & in summam redigendo, quæ ibi latè affert, potissima hujus ratio est, quod professione religionis transferantur bona profitentis in monasterium; proinde conjux consentiens alterum in religionem transire, subinde consentit huic alienationi, ac ex bonis per conjugem alienatis altero conjuge consentiente non sunt ab illorum possessore præstanda alimenta: quippe consentiens alienationi, præjudicat sibi, *l. si fundum per fideicommissum, & l. nihil, §. 1. ff. de legat. 1. & l. fideicommisse, §. 1. ff. de pignoribus & l. mater C. de rei vendicatione Tiraquellus l. si unquam verb. donatione largitus, num. 348. C. de revocand. donationibus.* Ergo non poterit conjux convenire monasterium ad alimenta ipsi subministranda ex bonis, quæ alienare consentit. Et confirmatur, quia aut tempore ingressus erat alter conjux egenus, & sibi imputet, quod alienationi bonorum consenserit; aut supervenit egestas, & illa non nocet monasterio, cui bona antea erant quæsita liberè, & absque ullo alendi onere. Nec obstant contraria. Non prius, quia pater, & filius possunt ingredi religionem altero reluctante: at secus in conjugibus, ac proinde dissentiendo possunt suum damnum impedire non patientes alienatione sibi præjudicari. Quod si replices: quando matrimonium non est consummatum, poterit alter altero reluctante ingredi; ergo tunc saltem tenebitur monasterium. Respondetur, per eam professionem dissolvi prorsus matrimonii vinculum, atque adeò id alienandi vinculum non esse. Nec obstat etiam posterius, quia ea bona sunt eo onere affecta, dum alienata non sunt.

8 Hinc deduco, tempore noviciatus teneri conjugem ex eis bonis alterum inopem alere, quia tunc non sunt alienata nec matrimonium ratum est dissolutum, & proinde non est, cur id onus cesset.

9 Si autem loquamur de contractibus à religioso post professionem initis, debitisve ex delicto, aut absque illo contractis, certissimum est apud universos Doctores allegandos monasterium non teneri ex his, quando absque legitima superioris licentia sunt initi hi contractus, aut æs alienum sic contractum est, nisi aliquid in monasterii utilitatem versum sit, indeque effectum locupletius: tenebitur enim tunc quò ad eam quantitatem. Ratio est, quia ex quo religiosus hic professus est, transfuliè in monasterium omnia sua jura, nec ullorum bonorum potest postea dominium, aut administrationem acquirere, sed omnia illa fiunt monasterii, cui juri acquisito, nequit suo contractu, aut debitis, aut delicto derogare. Idemque constat ex similitudine contractus filii familias, aut servi, quibus monachus æquiparatur; nec enim tenentur pater, aut dominus ex contractibus absque sua licentia per eos initis, nisi quatenus inde locupletiores facti sunt, ut expressè deciditur *l.1.§.si cum impubere ff. de peculio.*

10 Hinc deducitur primò, si contractus sit initus, aut debitum contractum à monasterii Prælato, obligari monasterium, quatenus Prælatus non excedit suæ administrationis limites. Ratio est, quia habet legitimam bonorum monasterii administrationem: secus autem esset, si limites suæ administrationis excessisset, quia quatenus excedit, non potitur administrandi jure. Atque ita docent *Angelus summa verb. monasterium, in initio Sylvester verb. religio octava quæst. 3.*

11 Ex delicto tamen monachi, etsi ille sit religionis Prælatus, non tamen monasterium, nisi inde aliquid ad ipsum pervenit, aut quatenus in ejus utilitatem conversum est, quoniam personæ delictum non est convertendum; in Ecclesiæ damnum, *cap. si Episcopum 16. quæst. 6. & reg. delictum 76. de regulis juris, in 6.* Atque ita tradunt *Glossa finalis l. si quis in tantum, 7. vers. 7. de Abbate C. unde vi Alciatus consilio 1. num. 49. lib. 1. Angelus summa verb. monasterium in initio Sylv. verb. Religio 8. quæst. 3. Rosella verb. Abbas in fine, & verb. monachus num. 10. ubi Armilla num. 14. Tabiena quæst. 13. num. 14. Molina tom. 1. de justit. disp. 140. colu. 9. vers. monasterium ex delicto. Leonardus lib. 2. de justitia cap. 41. dubio 11. numero 90.*

12 Quod quidem limitatur dupliciter. Prius, nisi religiosus commnicato consilio cum Prælato, & Capitulo id delictum admiserit. Sic *Glossa num. præcedenti allegata, Navar. comment. 62. de regularib.* quia delictum Prælati, & Capituli nocet Ecclesiæ, ut notatur *c.2. de ordine cognationis, & regul. delictum, de regul. jur. in 6. & l. jubemus nullam navem C. de sacrosanct. Eccles.* & est communis DD. sententia, ut tradit eam sequens *Abbas, cap. quod quibusdam num. 6. de fidejussoribus.*

13 Quare si pecunias mutuò Prælatus accipiat, non ut in usum monasterii convertat, sed ut in usus vanos, ac turpes, aut alios, in quos monasterii bona expendenda non erant, non tenebitur monasterium, quia excedit suæ administrationis limites; atque ita sentit allegato *Secino, Tapia auth. ingressi verb. sua cap.18. num.5. C. de sacrosanct. Eccles.* Secus autem esset si ad expendendum in monasterio necessaria mutuum accepisset; quamvis enim postea mutata voluntate malè expendisset, teneretur monasterium, quia ex ipsamet illius mutui acceptione, utpote quæ legitimè facta est, obligatio in monasterium translata est. Quare futurus malæ Prælati dispensationis eventus nequit illud liberare.

14 Secundò deducitur, teneri monasterium ex monachi contractu, quando tacitè, vel expressè est illi commissa aliqua administratio, nec illius limites excedit, quia eo ipso censetur facultas ineundi contractus ad illam administrationem pertinentes commissa. Sic docent *Angelus in summa verb. monasterium, initio. Sylvest. verb. relig.o 8. quæst. 3. Rosella verb. monachus num.7. & ibi Tabiena num. 11. qu. 10. Armilla num. 12. Molina tomo 1. de justitia disput.140. colu.10. vers. item ex contractu. Azor. tom.1. instit. moral. lib.12. cap.11. qu.11. Leonardus lib.2. de justitia cap.41. dub.11. nu.90.* & constat ex dicendis *num. sequenti.*

15 Tertiò deducitur quid dicendum de monacho existenti in scholis, vel in alio negotio extra monasterium ex legitima superioris licentia. Quidam dicunt non esse ei integrum ob suas expensas monasterium obligare, nisi specialem ad hoc potestatem habeat. Sic tradunt *Glossa c. ex parte verb. liceat, in fin. de accusationibus, & ibi Hostiensis num. 1. in fin. Joannes Andreas num.10. Antonius num.14.* Cæterùm dicendum est, obligari monasterium ex contractu hujus religiosi pro expensis necessariis inito, quia cum Abbas concedit licentiam recedendi à monasterio, & standi in alio loco, videtur ea omnia concedere, sine quibus non potest monachus abesse, qualia sunt expensæ necessariæ in illo studio, vel negotio, *reg. cum quid, de reg. juris, in 6.* Præterea, quia pater tenetur ad expensas, pro quibus filiusfamilias in studio, vel alio negotio de licentia patris existens se obligavit *l. sed Julianus, §. proinde si accepit, vers. quod dicitur ff. ad Macedonianum.* Atque ita tradunt *Glossa cap.2. in princ. vers. licentia, ne clerici, vel monachi, in 6. & ibi Joannes Andreas num.4. Archidiaconus num.9. Dominicus num.9. Francus num.6. Archidiaconus c. non dicatis num. ultim. 12. quæst. 1. & ibi Bellamera num. 33. Turrecremata art.7. num. 11. idem Archidiaconus c. cum pastoris 2. quæst. 7. num. 6. & ibi Bellamera num. 4. Faber §. qua diximus num.7. instit. quod cum eo, Abbas d.c. ex parte num. 8. & ibi Annanias in fin. Felinus num. 3. Marianus Socinus senior num. 10. idem Abbas cap. 5. num. 5. de officio ordinarii, & c. cum contingat num.24. de foro competenti, Felinus c. cum dilecta num. 18. de rescriptis D. Anton. 3. part. tit. 24. c. 53. in fin. Rosella in summ. verb. excommunicatio 1. casu in fin. Sylvester verb. excommunicatio 9. casu 25. num. 55. in fine, Navarr. commentar. 2. num.65. ad fin. de regularibus, Antonius Cucus lib. 3. institutionum maiorum tit. 3. num. 38. Surdus de alimentis tit. 8. privile. 97. num.2. 5. & 6. Horatius Lucius de privileg. scolastico) num, privileg. 87. Grassis 2. part. decis. lib. 3. cap. 19. num.41. Caballos in suis communibus opinionibus, quæstione 446. numero 15. Azor. tom. 1. institutionum moralium, lib. 12. cap. 11. quæst. 11. Tapia authent. ingressi, verb. sua cap. 18. nu. 6. 7. & 8. C. de sacrosanctis Ecclesiis, Molina tomo 1. de justitia, disp.140. col.10. vers. item ex contractu.*

16 Nec credo, quod tradunt *Archidiaconus c. cum pastoris 2. quæst.7. num.4. & ibi Bellamera num.1.* ubi dicunt non posse hujusmodi religiosum obligare libros, vel alias res ad usum sibi à monasterio concessas pro eo mutuo ad expensas necessarias contracto, nec valere obligationem. Quippe dicendum est posse utique, nam si potest obligare monasterium, poterit à fortiori eas res, *argum. authent. multò magis C. de sacrosanctis Eccles.* Atque ita docent *Abbas c. quantò nu.5. de officio ordinarii, Felinus*, licèt aliquantulum dubius, *c. cum dilecta num.18. de rescriptis. Navarr. comment.2.n. 65. ad fin. de regularibus.* Utrum autem si tunc pro alio fidejubeat, valeat fidejussio, dixi supra.

18 Dicta autem duplici *num. præced.* limitanda sunt dupliciter. Prior limitatio est, nisi pecunia mutuò accepta sit ad expensas excedentes quantitatem religioso quotannis destinatam; tunc enim non tenebitur ad illas monasterium quippe in eo excessu excedit limites sibi commissos. Id etiam constat ex similitudine filii familias existentis in studio de licentia patris, nam pater ad excedentes expensas non tenetur, ut constat ex *l. sed Julianus 9. §. proinde si accepit, vers. quod dicitur, ff. ad Macedonianum, ibi, quod dicitur in eo, qui studiorum causa absens mutuum acceperat, cessare Senatus consultum Macedonianum, ita locum habet, si probabilem modum mutuando non excesserit, nempe eam quantitatem, quam pater solebat subministrare.* Ut optimè *Gloss. verb. quod dicitur*, ait non vitiari utile per inutilem excessum, sed teneritunc patrem usque ad eam debiti quantitatem acceptam tunc mutuò à filio, secus quoad excessum, *arg. ex l. si quis argentum §. sed his omnibus C. de donationibus* atque ita tradunt *Archidiac. c. cum pastoris 2. quæst. 7. num. 6. & ibi Bellamera n. 4. idem Archidiac. c. non dicatis 12. quæst.1. num. ult. & ibi Bellamera nu.33. Turrecrem. art.7. nu.11. Abb. triplici loco, Felinus duplici loco, Marianus Socinus senior, D. Antoninus, Rosella, Sylv. Navar. Surdus nu.3. in fin. Antonius Cucus, Grassis, Tapia allegatâ num.12.*

18 Hoc tamen intellige, nisi morbi causa religiosus ille id debitum excedens annuas expensas contrahat: ad id enim debitum tenebitur monasterium, quod in monasterii utilitatem eæ expensæ cesserint. Atque ita docent *Turrecremata cap. non dicatis 12. quæstione 1. art.7. num.11. Tapia authent. ingressi verb. sua cap. 18. num.12. Grassis 2. p. decisionum lib.3. c.19. num. 41.* quod idem videntur clarè sentire *Felinus cap. ex parte, num.3. de accusationibus Surdus de alimentis, tit.8. privileg. 97. num.4.* dum absolutè dicunt monasterium teneri ad expensas factas in morbo talis religiosi. Quod idem satis clarè dicit *Molina tomo 1. de justitia disput. 140. col.10. vers. item ex contractu*, ait enim teneri monasterium ad ea, quæ recta negotii administratio postulat. At hæ expensæ sunt hujusmodi. Ex quo colligo idem dicendum esse, si hæ expensæ excedentes sunt ex aliqua alia urgenti causa rectè, & juxta debitam administrationem factæ, ut si furto data ad necessarias expensas sublata sint.

19 Quare non placet distinctio, quam tradunt *Speculator tit. de salariis, §. ultim.* qui est de salariis Medicorum *num. 5. in fin. & 6. initio. Dominicus cap.2. in princip. num.11. ne clerici, vel monachi in 6.* ubi quærentes, an hæ morbi expensæ sint à carnali religiosi patre, an potiùs à monasterio petendæ, dicunt illum teneri, cujus contemplatione factæ sunt: quod si utriusque gratia utrumque teneri; in dubio autem spectandam personarum qualitatem, ut *cap. requisisti, de testamentis.* Atque idem tenent *Lapus*, prout eum refert *Marianus Socinus senior cap. ex parte, num. 10. de accusationibus* quem ibi videtur sequi, etsi afferat se nolle in hoc insistere, eo quod non sit principalis sua materia. Sed non placet distinctio; sed dicendum est cas à monasterio petendas, quia cùm ibi sit de Abbatis licentia, id onus monasterii erit. Item, quia cùm monasterium sentiat commodum, ut omnia per religiosum quocumque modo acquisita ipsi cedant, debet quoque sentire onus, *regul. qui sentit, de regulis juris, in 6.* Atque ita docent *Francus eo cap. 2. in princ. Tapia eodem cap. 18. num.13.* & satis docent auctores *num. præced.* allegati, dum indistinctè obligant monasterium ad hujusmodi expensas. Quod benè limitat *Francus* ibi, nisi patris expensis esset religiosus ille in studio; tunc enim pater teneretur. Atque idem est dicendum de quocumque alio, cujus expensis ibi esset, ut constabit ex dicendis *num. sequenti.*

20 Posterior limitatio est, quando religiosus ille in studio, aliove negotio expensis monasterii versaretur: si enim conventum esset, ut alius expensas ministraret, non obligabitur monasterium ad mutuum pro expensis necessariis acceptum, sed is cujus expensis ibi est quod tunc cessat ratio obligationis monasterii. Atque ita docent *Glossa c.2. in princip. verb. licentia, in addit. ne clerici, vel monachi in 6. & ibi Joannes Andreas num.4. Archid. num. 6. Dominicus num.9. Francus num.6. idem Archidiac. cap. non dicatis 12. quæstione 1. num. ultim. & ibi Bellamera num.33. Turrecremata artic.7. num.11. Abbas c. ex parte num.3. de accusationibus, & ibi Annanias in fine, Marianus Socinus senior num.10. D. Anton. 3. p. tit.24. cap.53. in fin. Rosella in summ. verb. excommunicat. 1. casu 16. in fin. Sylvest. verb. excommunicatio 9. casu 25. nu. 55. in fine, Grassis 2. parte decis. lib. 3. cap.19. num. 41. Molina tom.1. de just. disputatione 140. colum. 10. vers. item ex contractu, Tapia authent. ingressi. verb. sua, cap.18. num. 8. C. de sacrosanct. Eccles.*

21 Quod si religiosus ille sit in studio, vel alio negotio absque superioris licentia, etsi pro illis expensis nequeat conveniri, quatenus est in monasterii detrimentum: at si rem contrahentis habeat, vel ex mutuo effectus sit ditior, poterit conveniri coram Ordinario loci, ut id, quod retinet, vel in quo effectus est ditior, solvat, quando suus Prælatus multum distat, ut benè tradunt *Abbas c. quantò nu.5. de officio ordin. Felinus cap. cum dilecta, num. 18. de rescriptis.*

21 Utrum autem si religiosus rem sibi mutuò datam malè consumat, & nil apud illum extet, gaudeat beneficio Macedoniani, quod filiisfamilias sic mutuum expendentibus conceditur, nempe, ut id non teneatur solvere, *l.1. & sequentibus, ff. & C. ad Macedonianum, & §. penultim. inst. quod cum eo, & l. regia 4. tit. 1. p. 5.* Quod quidem privilegium licèt multi negent in foro conscientiæ vim habere, sed teneri in foro conscientiæ filium familias id mutuum solvere, quod lex noluerit illum eo debito solvendo exonerare, sed solam repetendi mutuum creditoribus actionem deneget. Hi sunt *Covarr. cap. quamvis pactum 2. part. §. 3. nu. 4. Ascanius Clemens de patria potestate cap. 6. effectu 5. num. 12. Menthaca de successionum creatione part.1. lib.3. §.28. num. 55. Padilla l. cum quis, num.32. C. de juris, & facti ignorantia, Duennas reg. 369. in fin. Joann. Molina in differentiis inter forum conscientiæ, & contentiosum, differentia 45. Rebellus de just. p. 2. lib.1. quæstione 8. sectione 3. numer. 30. paulo post princip.* At verius est id privilegium in utroque foro procedere, quod leges non solam actionem denegent, sed liberent quoque filium ea solvendi obligatione in pœnam malè mutuantis, ut constat ex illa *regia leg.5.* ubi expressè dicitur filium non teneri, idque potestas publica potuit in bonum commune statuere. Atque ita docent *Basq. extravag. ad reprimendum, verb. denunciationem num. 12. Innocentius c. quia plerique num. 3. de immunitate Ecclesiarum, & ibi Abbas num.26. Jason. §. actiones num.35. instit. de actionibus, Alvarotus cap. novit. num.16. de judiciis, Angelus in summ. verb. juramentum 6. num.4. Gregor. Lopez en l.4. vers. non est tenudo, Antonius Gomez l.3. Tauri, aum.124. & tom.2. variarum cap.6. num.2. Gutierrez authent. sacramenta puberum num.83. & de juramento 1. parte cap.43. num.6. Mezia pragmatica tritici, conel.6. num.83. Azebedo lib.5. recopilationis tit.11. l. 22. num.1. & ibi Matienzo gloss.1. num. 2. Leonardus lib.2. de just. cap.20. dub.2. num.8. Molina tomo 2. de just. disp.301. paulo post princip. vers. habet verò locum.* Hoc ergo supposito dubium est, an prædicto privilegio gaudeat quoque religiosus. Quidam affirmant, quia religiosus in his, quæ utilitatem monasterii concernunt, æquiparatur filio, ut diximus. Item, quia sicut filius est in patris potestate, ita religiosus est in Prælati potestate. Tandem quia est eadem illius constitutionis ratio in religioso, nempe, ut refrenetur fœneratorum avaritia, ut dicitur *l.1. ff. ad Macedonianum*, & ita sustinet *Angelus §. cæterum, in fine institut. quod cum eo.* Sed verius est non gaudere hoc privilegio, cum id indultum sit, quo machinatio mortis parentum, ut filii eis succedentes sint mutuum solvendo, caveretur. Quæ ratio cessat in monacho, utpote qui Abbati non succedit. Præterea, quia etsi filius ratione dignitatis alicujus patria potestate liberatus retineat privilegia filiisfamilias concessa, id fallit, nisi tale privilegium ob malorum morum suspicionem concessum sit, ut docet *Suarez l.9. fori num.29. tit. de los pleytos.* Cum ergo id privilegium ob suspicionem malorum morum sit filiofamilias concessum, id non retinebit factus liber à patria potestate per professionem. Tandem, quia id privilegium à jure naturali obliganti solvere mutua, valde devians est restringendum. Atque ideo hanc partem sustinent *Faber §. qua diximus, in fine instit. quod cum eo Caballos in suis communibus opinionibus q.446. num.19.*

23 Qualiter autem monachus, aut monasterium teneantur pecuniæ apud se depositæ, & quando religiosus non est solvendo damnum à se illatum, an debeat dari pro noxa instar servi, diximus suprà.

24 Quamvis autem monasterium, quod æs alienum solvendo non est, cedere bonis possit, ut constat ex §. *si quis autem adjecerit, authent. ut determinatus sit numerus clericorum*, & docent *Jason §. in fine vers. cum eo quoque numer.10. inst. de Actionib. Albericus rubr. C. qui bonis cedere possunt numero ultim. Angelus, Zasius, Nicolaus Neapolitanus*, quos refert, & sequitur *Baeza de inope debitore c.13. num.1.* At religiosus privatus nequiens solvere non admittitur ad bonorum cessionem, ut allegatis *Baldo, Felino, & decisione Rotæ* tradit *Brunus de cessione bonorum, quæst.4. principali, in princ. nu.6.* (habetur *tomo 3. tractatum noviorum p. 2.*) *Tapia authent. ingressi, verb. sua, c.18. num.18.* quamvis *Bertrand. cons. 127. nu.6. & 7. volum.7. & Aufredius decisione capellæ Tholosanæ 314. num.4.* dicant admitti posse ad bonorum cessionem; & quod allegato *Felino*, dicit benè *Brunus eodem nu.6.* verum esse de monacho, Prioratus, aut dignitatis administrationem habente.

25 Utrùm autem sit actio intentanda contra monachum debitorem, an potiùs contra monasterium, diximus.

26 Quod si petas, an monasteria privilegio miserabilium personarum gaudeant, ut agentia contra laicum, possint illum convenire apud Curiæ Regiæ Judices, extra proprii domicilii forum, ad primam causæ cognitionem; dico consuetudine recepta Hispaniæ, non omnia eo gaudere, sed sola mendicantium ordinum, atque omnia monialium monasteria, etsi ditissima sint, ut docent *Covarr. qq. pract. c.7. num.3. Cabedo in decisionibus Senatus Lusitani. 1. parte decisione 54. num.9. & 13.*

SUMMARIUM.

An contractus initi à religioso absque superioris licentia, sint omnino irriti, an potius in monasterii favorem valeant? Refertur quædam sententia, nu.27.

Explicatur sententia auctoris, nu.28.

An sit culpa lethalis sic religiosum contrahere? nu.29.

An ita claudicent hujusmodi contractus favore minoris, & Ecclesiæ, ut possint partem approbare, & partem reprobare? numero 30.

An integrum sit huic contrahenti cogere minores, aut Ecclesiam ad declarandam, an velint stare contractui, an illum reprobare? nu.31.

Cui quærat monachus stipulans sibi, vel monasteria, vel impersonaliter, vel alii? nu.32.

An post hanc stipulationem possit alter resilire? nu.33.

An peccet religiosus acceptans absque licentia donationem, aut legatum? nu.34.

Post numerum 34. invenies summaria, quæ desiderantur.

27 QUæstio secunda. An contractus initi à religioso absque legitima superioris licentia, sint prorsus irriti, ac nullius momenti? *Leonard. lib.2. de just. c.41. dub.11.n.90.* ait, retenta valde probabili opinione, dicente religiosum nec naturaliter ex eo contractu obligari, quam *nu.36.* referemus, dicit posse eum, cum quo contraxit religiosus, non astringi contractu, sed integrum ei esse resilire, nisi postquam Prælatus eum contractum approbaverit, ipse quoque ratificet, quod æqualitas ad contractuum justitiam petita exigit, ut vel neuter contrahens, aut uterque ligatus maneat.

28 Cæterùm dicendum est, eos contractus non esse omnino irritos, sed irritos esse quatenus sunt in monasterii præjudicium; at in ejus utilitatem esse validos, ita ut in monasterii optione sit illos ratos, habere, aut improbare. Quia id generale est in omni contractu celebrato cum Ecclesia absque debita licentia, & solemnitate, ut favore Ecclesiæ ita claudicet contractus, ut contrahenti cum illa non liceat resilire: at Ecclesia possit stare, aut non stare illo contractu, sicut accidit in contractu celebrato cum pupillo, aut minore absque tutoris, vel curatoris auctoritate *l. Julianus §. si quis a pupillo, ff. de actione empt. instit. de auctor. tutor. in fin. princip.* Quod quidem in Ecclesiæ favorem procedere quoque tradit *Glossa c. 1. verb. sede vacante*, quam sequuntur *Hostiens. Joann. Andr. Abb. Card. Imola, Decius, Fulgosius, Jason*, quos refert, & sequitur *Sarmiento de reddit. eccles. p. 1, c. 2. num.19.* & in nostris terminis contractus à religioso absque licentia initi tradunt *Innocent. c. cum olim el 2. num.4. de privileg.* & ibi *Joann. Andr. num.7. Hostiens. num.13. Anton. num.14. Henr. num.7. Abb. c. quanto num. 5. de offic. ordinar. Imola c. Raynutius nu.71. de testam. Alciat. l. servus, nu.3. de pact. Sylvest. verb. religio 8. §.4. Rosella verb. monachus, num.8. & ibi Tabiena q.11. nu.12. Navarr. comm.2. num.32. & num.65. vers. addo ergo de regul. Molina tom. 1. de just. disp.140. col. 10. vers. item ex contractu, & tom.2. disput. 264. col. 3. vers. iure etiam.*

29 Ex quo deducitur, culpam lethalem esse religiosum contrahere absque superioris licentia cum eo, qui inscius esset se monasterio prædicto modo obligari, non verò monasterium sibi, nisi religiosus bona fide, & simplicitate excusaretur, quod sit notabilis fraus; & ita docet *Molina nu. praced.* allegatus.

30 Hæc autem contractus claudicatio, quæ favore minoris admittitur, non dividit contractum, ita ut minori fas sit partem illius sibi utilem approbare, alia sibi noxia parte improbata. Sed tenetur aut totum ratum habere, aut totum irritum, ut rectè docet *Sarmiento de redditib. eccles. art.1. c.2. nu.19.* idque generale esse in omni contractu claudicante probat latissimè ex multis textibus, & Doctoribus *Tiraquellus de retract. convent. ad finem totius tituli, à num. 1. usque ad 16.* Quare eleganter dixit *Alciat. l. servus, nu. 4. G. de pact.* loquens de contractibus servi, & filiifamilias sui similiter claudicant, & quibus *ibi num.3.* contractus religiosorum æquiparat, oportere, quò pater, vel dominus lex eo contractu aliquid acquirant, eumque approbare valeant, ut ei quoque damno se subjiciant, quod in ipso contractu est uno tempore deductum, vel incontinenti post, priùs scilicet, quàm contractus omnino pro absoluto habitus sit.

31 Quare contrahenti cum minori, vel Ecclesia, ne sit in suspenso, integrum est agere, ut minor, vel Ecclesia, aut religio compellantur declarare solemniter, an velint contractu stare, aut ab eo discedere *l. Julianus §. si quis à colludente, ff. de action. empt.* & ita *Bartolum*, & alios allegans tradit *Sarmiento de redditibus Eccles. part. 1. capitul. 2. num.22.*

32 Tandem ex his infertur, religiosum sibi, sive monasterio suo, sive impersonaliter stipulantem, acquirere monasterio, quia valet stipulatio monachi pro monasterio, ut habetur expresè *§. si quis alii, instit. de inutil. stipul.17.tit. 11. part.5.* atque ita docent *Innocentius c. cum olim, el 2. n. 3. de privilег. & ibi Anton. num.35. Hostiens. num.12. Joannes Andreas num.5. Cardin. num.4. vers. ubi quaro. Anchar. nu. 17. Henric. num.4. Abbas c. quando, num.2. de offic. ordin. Angelus §. sive autem, nu.3. instit. de stipul. servor. Navarr. comment. 2. num.32. de regular. & libro 3. consil. tit.de regular.in 1. edit. consil.73. num.1. in 2. cons.85. num.1. Tapia* alios referens *authent. ingressi, verb. sua. c.7. num.5. C. de sacrosanct. Eccles.* Quod si monachus ille stipularetur alii, non quærit illi, quia non potest, nec etiam monasterio, quia illi stipulatus non est, *argum. l. servus meus, ff. de stipulat. servor.* ut tradunt *Innocent. Anton. Hostiens. Joann. Andr. Ancharanus, Cardin. Henric, ibidem*. Quod si alicujus mandato stipulatus esset, actio non acquiritur mandanti, sed monasterio: at hoc cogetur cedere actiones in totum mandanti, ut dicitur in servo fructuario, *l. si liber homo, & ibi notat Bartolus ff. de stipulat. servor.* & tradit *Angel. instit. eod. tit. §. servus communis, num.3.*

33 Hæc autem religiosi stipulatio, per quam diximus *nu. praecedenti* acquiri monasterio, id operabitur, ut donans, aut promittens resilire nequeant post eam religiosi stipulationem: at semper à ratihabitione, & consensu monasterii dependere, ut firma sit, quia, ut probavimus *num. 28.* contractus à religioso factus absque monasterii commissione claudicant in monasterii favorem. Atque ita docet *Molin. tomo 2. de justit. disputat. 264. col. 2. vers. iure etiam concessum est.*

34 Quare quamvis religiosus peccet acceptando donationem, aut legatum absque superioris licentia, tenet tamen acceptatio, quatenus est in favorem monasterii, ut benè docent *Navarr. comment. 2. num.32. de regular. Azor. tomo 1. instit. moral. libro 12. cap. 10. quæst. 2.* At peccatum hoc non credo esse lethale, si non acceptet animo sibi quærendi, aut retinendi absque superioris licetia, quia nullum donanti, aut leganti aut monasterio damnum infertur, sed in ejus compodum redundat; nec propriè tunc delinquitur contra pauperatis votum, cùm non sibi acquirere, aut retinere velit, sed monasterio.

SUMMARIUM.

Explicatur, quando ex contractu oriatur obligatio civilis, & naturalis, & quando sola naturalis, seu in solo conscientia foro, & quando neutra, num.35.

An religiosus obligetur naturaliter, seu in conscientia foro ex contractu quem absque superioris licentia iniit? Refertur quadam sententia? num.36.

Sententia Auctoris, nu.37.

An si eo contractu religiosus damnum intulerit, teneatur id resarcire? nu.38.

An possit superior eam obligationem irritare? nu. 39.

An oriatur obligatio naturalis, & civilis ex contractu de superioris licentia inito? num.40.

An tunc integrum sit illi, aut alteri superiori irritare? numero 41.

Utrum fidejussor religiosi teneatur? nu.42.

An is cui promisit religiosus, teneatur cedere actiones fidejussori? num.43.

Quid si fidejussor accedat, contractu religiosi irritato jam à superiore, vel irritatio illa fidejussionem subsequatur? numero 44.

An idem dicendum sit de pignore, & hypotheca datis ad securitatem, quod de fidejussore diximus? nu. 45.

An dicendum sit idem, sive fidejussio accedat ad contractus, sive ad debiti securitatem? num.46.

Quid si fidejussor se tamquam principalem obliget, an tunc censendus sit ut principalis ita ut maneat obligatus, religiosi non obligato, & gaudeat beneficio, ut convenire nequeat, donec, debitoris principalis conventi bona excutiantur? numero 47.

Et quid quando fidejussioni jusjurandum accesserit? nu. 48.

Fidejussor laicus religiosi aut clerici, an sit conveniendus coram Judice seculari, & quando fidejussor gaudeat principalis beneficio? num. 49.

35 QUæstio ultima. An religiosus ex contractu, quem absque superioris licentia iniit, obligetur naturaliter, seu in foro conscientiæ, & quid de ejus fidejussore? Oportet præmittere quòd latiùs probavimus *lib.1. de matrimonio disp.7. num.14. & duplicè sequenti*, nempe duplicem, posse oriri ex contractu obligationem. Altera est civilis, id est, ad quam implendam datur actio in foro externo. Altera autem est naturalis, id est, quæ non ex solo honestæ gratitudinis debito oritur, sed ex vinculo legis naturalis. Et quamvis ad hanc non detur actio in foro causarum obligat tamen in foro conscientiæ: atque ea traditur regula ad cognoscendum, quando ex contractu oriatur obligatio naturalis, & quando civilis. Si lex humana contractum reprobet, ipsumque prohibeat ei resistens, neutra obligatio oritur. Si autem lex humana minimè contractu resistat, ipsum reprobans, nec ei assistat, sed potiùs deneget in foro externo actionem, tunc contractus hic destitutus manet auxilio juris civilis, & sub solo juris naturalis fomento. Quare sola naturalis obligatio, verum in foro conscientiæ debitum producens, consurget: quod si lex non resistat contractui, sed illi assistat, illumque approbet, orietur utraque. Quæ latius in prædicto loco explicuimus, & probavimus.

36 His præmissis, duplex est sententia. Prior sustinet ex contractu per religiosum absque sui superioris licentia inito, ipsum non obligari naturaliter, nec civiliter, sed prorsus manere liberum. Ducitur, quod religiosus careat velle, & nolle, & sic consensu, ut constat ex *c.2. de testament. in 6.* qui ad obligationem naturalem desideratur *l. Sticium, §. naturalis ff. de solut.* & ideo non sit simile de servo, qui eo quod consensum habeat, ex contractu absque domini licentia gesto, obligatur naturaliter, non tamen civiliter, *l. naturaliter 13. ff. de condict. indeb.* Secundò, quia leges ei contractui resistunt, *c.2. de testam. in 6. & c. non dicatis 12. q.1.* Et hæc sententia est valde probabilis, quam tuentur *Hostiens. summ. tit. de fidejussorib. §. & si quis, nu. 3. vers. item excipitur monachus. Abbas c. ex rescript. num.1. de jurejur. & ibi Alex. de Nevo nu.6. Felinus, nu.1. Zasius d. l. naturaliter, nu.2. Faber, §. at nec, in fine instit. de fidejussor. Fortunius l. gallus, §. & quid si tantum, num. 70. ff. de liber. & posth. Cagnolus c. in personam, nnm.3. ff. de reg. juris Caballos in suis commun. opinion. quæst.446. num.13. Antonius Cucus lib.3. instit. major. tit.3. num.37.* explicans, quamvis jurejurando is contractus firmatus sit *Monald. cons. 30. a num.1.*

num.1. usque ad fin. volum.2. qui concludit, *num. 14.* non fat esse, ut Prælatus non contradicat, ut obligatio illa oriatur, sed esse opus, ut illum contractum approbet. *Molina tomo 1. de just. disp.140. col.11. vers. potius distinguerem*, cum limitatione tamen quam *nu.32.* explicuimus, & cum eadem limitatione dicit esse valde probabile *Leonard. lib.2. de just. c.41. dub.11. num.90.*

37 Posterior sententia (cui tamquam probabiliori adhæreo) asserit ex eo contractu obligationem naturalem in religioso oriri, dum superior non irritat: secus autem de civili, quamvis neutra in monasterio ipso oriatur. Ducor, quod nullum inter religiosi vota, ac promissiones homini factas diseri men inveniam, cùm utraque obligatio consensum exigat, & ut omnino firma, ac irrevocabilis sit; indigeat quoque superioris licentia. At religiosus tenetur votis absque superioris licentia à se emissis, dum à superiore non irritantur. Ergo similiter tenebitur promissione homini facta, & aliis contractibus cum eo initis, dum superior ea non cassat. Nec obstant contraria, quia religiosus sufficientem consensum ad prædictam obligationem habet, sicut & ad vota. Dicitur autem non habere velle, aut nolle, quia id non ita efficax est, quin possit à superiore revocari. Nec jura prædicta his contractibus resistunt, sicut nec votis. Tandem, quia religiosus comparatur servo, qui sine domini licentia contrahens obligatur naturaliter, non tamen civiliter *l. naturaliter 13. ff. de condict. indeb.* Et ideo hanc partem sustinent *Abbas cons. 104. num.4. volum.1. Navarr. comment. 2. num.42. in fin. de regularib. Sylvest. verb. religio num.8. quæst.3. Rosell. verb. monachus num.7. & ibi Armilla num. 12. Tabiena num.11. quæstione 10. Azor. tomo 1. instit. moral. lib.12. cap. 11. quæst. 5. Leonardus lib. 2. de just. c. 2. dub.1. num. 6. Rebell. de just. part.2. lib.1. quæstione 8. sect. 1. num. 4.* qui benè ampliat *num.5.* sive ea promissio fiat alteri religioso, sive sæculari. Non tamen placet quod *eod. num.5.* addit, nempè, eam promissionem non fore validam si constet esse contra superioris voluntatem, quippe etsi religiosus peccet vovendo contra expressam superioris voluntatem, non tamen votum est irritum, nisi superior vota prohibens, expresserit suam voluntatem esse, ut irrita sint aliter facta. Ac proinde idem dicendum est de promissione homini facta. Sicut etiam non placet limitatio, quam apponit *Azor. eo. quæstione 5.* nempè, ut hoc intelligatur in iis, quæ potest facilè, & commodè per ipsum religiosus præstare, quia ea limitatio non admittitur in votis.

38 Sive tamen hanc, sive priorem sententiam amplectamur, dicendum est, si eo contractu religiosus damnum aliquod injustè intulerit, cum teneri hoc damnum restituere cùm restituendo fuerit, juxta ea quæ diximus suprà, ubi restituendi modus explicatus est. Quod bene docent *Molina tomo 1. de just. disp. 140. col. 11. vers. potius distinguerem, Leonard. lib. 2. de just. c. 41. dub.11. nu. 90.* Sicut etiam ibidem probavimus, teneri religiosum quodcumque aliud damnum illatum modo sibi possibili resarcire.

39 Potest etiam superior eam contractus obligationem irritare, & ex tunc nulla ratione tenebitur religiosus, sicut idem votis contingit, quod religiosi voluntas à superiore pendeat. Sic tradunt *Navarr. Azor. Rebell. num.4. Leonard. allegati num.31.* Addit Rebellus posse irritare ex rationabili causa eam promissionem, sicut & vota. At credo nullam exigi causam, sicut nec ad votorum irritationem, ut diximus. At quamvis irritet contractum, religiosus, qui fuit injusta damni alicujus causa, tenebitur id resarcire, juxta dicta *numero præcedenti*, quod Prælati irritatio nec eam restituendi obligationem impediat, nec impedire possit.

40 Quod si ex legitima superioris licentia religiosus contractum ineat, obligabitur naturaliter, & civiliter, cùm nihil ad ejus contractus firmitatem petitum tunc deficiat, atque religiosi voluntas ex superioris arbitrio pendeat *cap. si religiosus, de electione, in 6.* Atque ita docent *Abbas 5. ex rescript. nu.1. de jurejur. & ibi Bald. in fin. Alexander de Nevo nu.5. Felin. nu.1. Tapia authent. ingressi verb. sua c.18. nu.17. G. de sacrosanct. Eccles.*

41 Sed an tunc possit superior, qui licentiam concessit, aut successor, aut alius eo superior irritare? De hac re egi *lib.9. de matrim. disp.40. nu. 14.* ubi sustinui contra *Arag.* non posse validè irritare, quamvis subditus non exequens, renitente superiore, sit à culpa liber: & ibi probavi tradens differentiam inter votum, & hanc promissionem, atque idem denuo approbo. Et id satis confirmat, quod *nu. praced.* diximus; cùm enim ex hoc contractu oriatur obligatio naturalis, & civilis, nullæ sunt superioris partes ad auferendum jus inde tertio illi acquisitum. Item, quia Prælatus successor tenetur stare contractu prædecessoris, ut multis textibus, & Doctoribus allegatis probat *Manuel 99. regular. tom.3.q.26. art.1.*

42 Tandem tractandum est de fidejussore hujus religiosi. Et quidem si teneamus priorem sententiam asserentem religiosum non obligari naturaliter ex contractu absque superioris licentia inito, dicendum subinde est, nec fidejussorem manere obligatum: & ita asserunt *Abbas, Alexander de Nevo num. 30.* & pro priori illa sententiam allegati. Quod si teneamus posteriorem sententiam, quam *nu.31.* sustinuimus dicentem religiosum obligari naturaliter, dicendum subinde est, fidejussorem obligari naturaliter, & civiliter: atque ita docent *Abbas, Navarr. Leonard. Azor. q.6. ibi* pro hac sententia allegati. Ratio autem hujus est, quia ea est certissima regula, ut principali nullo modo obligato, non teneatur fidejussor. Secus quando principalis saltem naturaliter obligatur, ut constat ex *l. cum lex 47. ff. de fidejussor. & l. naturaliter 13. ff. de condict. indeb.* ibi; *naturaliter servus obligatur*, & ob id fidejussor pro servo acceptus, tenetur, & *l. fidejussor obligari 17. in princip. ff. de fidejuss.* ubi *Glossa verb. non est*, reddit rationem, quia deficiente principali obligatione, deficit accessoria fidejussoris *reg. cum principalis 338. ff. de regul. jur.*

43 Tenebitur autem tunc is, cui religiosus promisit cedere fidejussori actionem, quam habet adversus religiosum, & cùm sola sit obligationis naturalis, solam illam cedet, ut per *l. si ejus ff. ad Trebell.* tenet *Bartol. l. Modestinus, ad finem ff. de solut. Felician. de censibus tomo 2. lib. 3. cap. 2. num.20.*

44 Hinc deducitur, fidejussorem accedentem ei religiosi contractui, postquàm à superiore irritatus fuit, nullatenus teneri: quippe religiosus jam ex illo contractu nec naturaliter tenebitur, ut diximus *num.39.* & docet *Nav. comm. 2. nu.42. in fin. de reg.* Non proderit autem illa contractus irritatio, si fidejussionem subsequatur, quia tempore, quo fidejussor accessit, fidejussio legitima fuit, obliganique naturaliter, ac civiliter, utpote quæ naturali religiosi obligationi tunc existenti accessit: ac proinde ejus valor non cassatur cessante obligatione principali per illam irritationem quia irritatio illa non potuit extendi ad fidejussionem factam à non subdito illi superiori. Sic tradit *Leonardus lib. 2. de justit. cap.28. dub. 1. nu.6.*

45 Atque idem prorsus quod de fidejussore dicitur, dicendum est de hypotheca, & de pignore, si fortè aliqua data sint ad securitatem, quia id pignus locum fidejussoris obtinet. Sic *Navarr. comm.2. nu.42. in fin. de regularib. Azor. tomo 1. instit. moral. lib.12. c. 11. quæst. 6. Molina tomo 1. de justit. disp. 140. col.11. ver. distinguerem.*

46 Quamvis autem dicamus fidejussorem non obligari, sive quia sustinemus religiosum ex eo contractu non obligari naturaliter, sive quia fidejussio accessit contractu jam irritato, est id dupliciter temperandum. Priùs, ut intelligatur, quando fidejussor petitus est ad debiti ex eo contractu consurgentis securitatem: tunc enim cum ex eo contractu nullum resultarit debitum, etiam naturale, nulla consurgit obligatio ex parte fidejussoris, qui solùm censetur obligatus, si principalis deberet, & non solveret: secus autem si fidejussor adhibeatur ad contractus securitatem ea ratione, qua pendet ex voluntate Prælati, ne rescindatur ab illo, tunc enim consurget obligatio etiam civilis ex parte fidejussoris, quamvis Prælatus nolit contractui stare, quia in hoc casu se obligavit pro principali. Sic tradunt *Leonardus lib. 2. de justit. cap.28. lib.1. num.7. Molina tom. 1. de justitia disp.140. col.11. vers. 2. distinguerem.* Qui optimè addit regulariter credendum esse peti à religioso fidejussorem hoc posteriori modo: & proinde in dubio ita judicandum esse, quia cùm constet firmitatem contractus religiosi pendere à superioris voluntate, volentis illum ratum habere, censendus est fidejussor petitus ad securitatem contractus, quatenus ex ea voluntate pendet.

47 Posterior limitatio est, nisi fidejussor se obligarit tamquam principalis debitor, seu, quod idem est, faciendo debitum principalis debitoris suum proprium, ut passim fieri solet. Tunc enim, quamvis dicamus religiosum nullatenus obligari, dicendum est, fidejussorem teneri, quod non accessoriè, sed principaliter se obligarit. Sic *Navar. comm. 2. num,42. vers. 6. quod vix reperies, de regularib. Manuel. de stat. minor. quæst. 133.* dicens sic decisum in Rota: quia quoties fidejussor se obligat ut principaliter, est principalis, ut tenent multi, quos refert, & sequitur *Gualdensis de arte testandi tit. 6. cautel. 30. num. 3.* & multos alios refert *Felicianus tomo 2. de censib. libro 3. cap. 2. num. 20.* & tenet *Molina tom. 2. de just. disp. 545. volum.8. vers. quando fidejussor. Manuel quæstionum regul. tomo 3. quæstione 26. art. 2. in fin.* Sed hæc limitatio non caret difficultate, quia *Glossa authen. de fidejussor. in princip. verb. fidejussorem in fin. & Speculat. tit. de renunciat. & cond. §. unic. num. 18. vers. sed si fidejussor se principalem, & ibi Joan. Andr. in addit. litera A.* citato Alberto, & alii, quos refert *Felician. eodem, num. 20.* dicunt quando non fit obligationis novatio, esto fidejussor se obliget tamquam principalis debitor, non esse eum verè debitorem principalem, sed fidejussorem accessorium debitori principali: ac proinde necessarium esse tunc executionem priùs fieri in bonis principalis debitoris; quia certum est eum semper pro alio intercedere, origoque semper spectanda est, *l. si filius, C. ad Macedon. & l. qui id quod, ff. de donat.* Quare si principalis debitor tunc non obligatur, dicendum est, nec fidejussorem accessorium tunc obligari. Et ideo ut hæc limitatio vera sit, intelligenda est in altero ex duobus casibus. Prior est, quando fidejussor constituit se principalem debitorem, renunciando beneficio concesso sibi per *authent. de fidejussor. in princip. & authent. præsente, C. de fidejussor.* quod est, ut priùs excutiantur bona principalis debitoris, quam fidejussor possit conveniri. Sic *Alexand. de Nevo, cap. ex rescript. numer. 8. de jurejur.* Posterior est, quando simul cum debitore principali in eadem scriptu-

scriptura fidejusor se obligat, ut fidejusor, ac debitor principalis: nam si seorsum in alia scriptura se sic obligaret, solam fidejussoris rationem haberet. Quod docent *Jason* multos referens *concl.58. num.4. lib.3. Greg. Lop. l.57. verb. principalmente tit.18. p.3. Gutier. de jurament. 1. p. c.23. nu.8.* & 11. ubi & alios refert. Qui quidem duplex casus satis placet, quamvis *Molina* loco paulo antè allegato teneat, sive in eadem scriptura, sive postea in alia fidejusor se obliget, ut debitor principalis, eum obligari tamquam principalem, & ideo conveniri posse non facta prius excussione bonorum debitoris principalis: quia cùm renunciat authenticæ concedenti hoc beneficium, habetur tamquam debitor principalis, ut diximus in priori casu. At in hoc casu virtute renunciatur authenticæ illi, quod satis est. Sed hoc minimè credo tamquam adversum communi Glossæ, & aliorum Doctorum doctrinæ: sed dicendum est, requiri ad hoc vel expressam illius beneficii renunciationem, juxta priorem casum: vel in eadem scriptura constitui tamquam debitorem principalem, juxta posteriorem casum.

48 Tandem censebitur obligatus tamquam principalis, si fidejussioni illi accedat juramentum, quod juramento ea virtus insit, ut actus aliàs irritos valere faciat eo modo, quo valere poterunt, ut ex multis probat *Gutier. de jurament. part.2. cap.2. num.3. & duplici sequenti*. Et ideo hanc partem sustinent multi, quos referunt, & sequuntur *Duennas reg. 335. limitat. 20. Gutier. de juram. 1. part. cap.23. num. 27. Manuosius, & Manuel praeced. num. allegati*. Quamvis sit satis probabile non sufficere juramentum; quod tenet *Covarr. de pact. 1. part. §. 4. num.4.* & multi alii, quos refert *Duennas, & Seraphin. de privileg. juram. privileg. 90. à num. 1. usque ad* 11. re hac latè disputata, dicit posse utramque sententiam facilè sustineri, & rationes prioris sententiæ solvit.

49 Hinc demum observandum, laicum clerici, aut religiosi fidejussorem conveniendum esse coram judice sæculari, quamvis principalis coram eo conveniri nequeat, ut optimè tradunt *Abbas cap. ex rescript. num.2. de jurejurand. & ibi Alexander de Nevo, num.11. Anton. Romanus, Archidiaconus. Baldus*, quos refert, & sequitur *Additionator ad Abbatem, ibi. verb. seculari*. Et ratio est, quia exceptio competens principali ratione personæ, non transit in fidejussorem, ut optimè tradit *Glossa* communiter recepta *instit. de replicat. §. finali verb. fidejussoribus, & Dynus reg. privilegium 7. numer. 2. de reg. jur. in* 6. Privilegium enim personale non transit ad tertium, sed personam sequitur, cum eaque extinguitur, ut habetur *ead. regul. privilegium*. At privilegium exemptionis à foro sæculari competit clerico ratione personæ: & ideo ejus fidejusor eo juvari non potest.

CAPUT XXXII.

Quando religiosus transit licitè ab una religione in alteram, vel ad Episcopatum, aut ad aliud beneficium, ad quem pertineant bona, quæ priùs acquisierat, vel in posterum acquiret.

SUMMARIUM.

Quot quæstiones disputandæ sint, num.1.
Transitus de una religione in aliam quotupliciter fieri possit? num.2.
Quando religiosus transit licitè ex uno ordine ad alium, & uterque est succedendi capax bona post transitum acquisita, utrius monasterii sint, num.3.
An bona in priori monasterio acquisita, transferantur quoque in posterius, vel in Ecclesiam, quando religiosus transfertur ad Episcopatum? Refertur duplex sententia cum suis limitationibus à num.4. usque ad 7.
Explicatur sententia auctoris, num.8.
Ad quod monasterium pertineant bona, quæ post egressum, vel ante professionem in posteriori monasterio, hic acquisivit? numero 9.
An bona, quæ religiosus hic in ingressu donaverat priori monasterio, vel alius donarat contemplatione ejus ingressus, transferantur in posterius? num.10.
An quando religiosus non voluntariè, sed necessitate coactus transit ad posterius monasterium, ususfructus bonorum, quæ prius acquisierat, pertineant ad posterius? nu.11.
An dos à moniali data monasterio, sit reddenda posteriori, ad quod transit? num.12.
An transiens ad aliam religionem possit secum deferri vestes, scripta, libros, & alias suppellectiles, quas habebat? numero 13.
An possit secum deferre peculium, quod ex licentia in priori monasterio habebat? num.14.
An bona ad prius monasterium pertinentia pro solo tempore vitæ hujus monachi, pertineant ad posterius monasterium, ut quia testatus est de illis ante ingressum, vel gravatus est post mortem restituere, vel institutus est cum conditione ut, absque liberis decedens restituat tertio, & est casus in quo ea professione non excludit substitutus, vel quando proprietas etiam pertineat ad monasterium, quia excludit substitutum? numero 15.
Solvuntur argumenta? nu. 16.
Quando transitur licitè ex monasterio capaci ad capax, vel ad Episcopatum, & in priori deferitur hæreditas, at non est adita Episcopatum, & in priori defertur hæreditas, at non est adita ante posteriorem professionem, ad quod monasterium ea pertineat? Refertur quædam sententia? nu.17.
Explicatur sententia auctoris? nu.18.
Solvuntur argumenta? nu.19.
Quid quando prius monasterium erat bonorum incapax, vel è contra, & institutio est pura, & tempore transitus jam monasterium capax adierat, vel si erat incapax, adierant hæredes ab intestato? nu.20.
Quid si nondum adierant, sed solum erat delata tempore professionis in posteriori? Refertur quædam sententia? numero 21.
Et sententia auctoris? nu.22.
Quid si successio esset in majoratus Hispanos, & quo tempore consideretur capacitas ad succedendum in hos; & quid si tempore successionis erat incapax, ut frater Minor; is in quo institutus est? nu.23.
Quid si privilegio Principis restituatur, qui ob hæresim, aut crimen læsæ majestatis, aut ali alias est incapax, aut ex Pontificis dispensatione possit nubere, qui ratione clericatus, aut religionis exclusus erat à majoratu? nu.24.
Quid si non esset hæredis institutio, sed legatum, & quo tempore exigatur capacitas ad legata percipienda? nu.25.
An professus in monasterio incapaci perdat omnino, & irrecuperabiliter jus succedendi, ita ut nec translatus ad capax, nec factus Episcopus, nec ejectus illud recuperet? numero 26.
An qui post delatam sibi, & non aditam hæreditatem profitetur in ordine Minorum, & ea nondum adita per hæredes ab intestato, est in monasterio capaci, vel Episcopus, & sit capax possit illam adire, aut monasterium capax ad quod transit? num.27.
Quid si frater Minor instituatur hæres, & tempore mortis testatoris est habilis, quia translatus ad monasterium capax, vel est Episcopus? Refertur quædam sententia, nu.28.
Explicatur sententia auctoris à num.29. usque ad 32.
An frater Minor non institutus à parentibus ratione incapacitatis, possit factus Episcopus, aut translatus ad monasterium capax tempore mortis paternæ, aut post rumpere testamentum. num.33.
An frater Minor ante, vel post ingressum monasterii substitutus pupillo, si tempore mortis pupilli reperiatur capax, ut si factus sit Episcopus, aut transierit ad religionem incapacem, succedat illi pupillo; & generaliter in omni substitutione, an sufficiat capacitas tempore mortis ejus gravati, aut pupilli, cui succedendum est? nu.34. 35. & 36.
An frater Minor, qui ante professionem reservavit sibi aliqua bona in eum eventum si è religione egrederetur, ea recuperet factus Episcopus, aut translatus ad religionem capacem; n.37.
An stante statuto, ut extantibus masculis fœmina non succedat frater Minor jam factus capax tempore successionis fœminam excludat? nu.38.
Bona à religioso acquisita post transitum ad monasterium incapax, cujus sint? nu.39.
Quando institutio est conditionalis, & in priori monasterio, aut ante ingressum in illud est religiosus institutus, & in posteriori impletur conditio, ad quod monasterium ea bona pertineant & quo tempore exigatur capacitas in institutionibus, aut legatis conditionalibus. Refertur quædam sententia? nu.40.
Explicatur sententia auctoris? nu.41.
Quid si contractu, aut promissione debeatur aliquid religioso, & post transeat ad aliam religionem, & quod capacitatis tempus in contractibus inspiciatur? nu.42.
Quid si institutus sub conditione est tunc capax; at tempore impletæ conditionis incapax, aut è contra? num.43.
An possit frater Minor institui hæres non absolutè, sed in tempus, quo capax erit? nu.44.
Quid quando religiosus non transfertur de uno monasterio ad aliud, ut ibi denuo profiteatur, sed ut agat pœnitentiam? num.45.
Quando religiosus transfertur ad aliam religionem non ut profiteatur, sed ut ibi pœnitentiam agat bona priùs acquisita ad quod monasterium pertineant, & à quo sit ille alienus? nu. 46. 47. & 48.
Quid de bonis acquisitis in posteriori monasterio, in quo hic reclusus est ad agendam pœnitentiam? nn.49.
Quotupliciter emitti soleat professio? nu.50.
Quando quis profitetur in genere generalissimo, cui acquirat? nu.51. & 52.
Quid quando profiteatur in genere subalterno, & translatus est ad aliud monasterium ejus ordinis? n.53. & 54.
Quid quando profiteatur in specie specialissima? nu.55.
Quando monasterium est destructum, ad quem pertineant ejus monasterii bona. Refertur duplex sententia? nu.56. & 57.
Explicatur sententia auctoris? nu.58. & 59.
Quando religiosus ea legitima superioris, aut Pontificis licentia extra monasterium vivit, cui acquirat? nu.60. & 61.
Post num.61. invenies alia summaria.

1 Cum

1 Cum religiosus possit licitè, & illicitè egredi à religione, in hoc cap. tractandum est de egressu licito, ad quem tunc pertineat bona; & in *cap. sequenti* disputandum erit quando egressus est illicitus. Duplex igitur quæstio in præsenti agitanda est. Prior est de transitu licito ad aliam religionem. Posterior est de transitu ad Episcopatum vel ad aliud beneficium.

2 Quæstio prior. Ad quod monasterium pertineant bona religiosi licitè ex una religione in alteram diversi ordinis transeuntis. Qua in re diversæ oriuntur difficultates, cum possint varii esse instituendi religiosum modi, variique religionis ordines. Potest enim religiosus pure, aut sub conditione institui, potest etiam evenire, ut prius monasterium, à quo fit transitus, sit capax succedendi, id autem in quod transitur, sit incapax, vel è contra, ut prius sit incapax, posterius sit capax; vel utrumque capax sit. De quibus modis, ut clarè procedamus, est seorsum in hac quæstione agendum: poteritque disputari de bonis acquisitis ante transitum ad posterius monasterium, & de bonis etiam postea acquisitis.

3 Prima ergo difficultas est quando utrumque monasterium est succedendi capax, ad utrum illorum pertineant bona ante transitum acquisita. Nam de bonis in posteriori post professionem comparatis, sive hæreditate, sive legato, sive operis, & industria, nemo dubitat ad posterius monasterium pertinere, ut si post professionem in posteriori morte testatoris, parentum, aut consanguineorum deferatur ipsi hæreditas aliqua, sive ex testamento, sive ab intestato, aut legatum aliquod, vel quamcumque aliam rem quomodocumque acquirat, fatentur omnes ea esse posterioris hujus monasterii: quia emissa in eo professione, nihil prorsus habet cum priori monasterio commune, sed omnia prorsus jura cum sua persona transtulit in posterius, sicut ea omnia in prius professione transtulerat.

4 Sed punctus difficultatis eò pertinet, an bona, quæ prius monasterium ratione illius monachi acquisierat, transferantur quoque in posterius, ut si ratione illius monachi in aliqua bona hæreditate, legato, vel quocumque alio modo successerat. Qua in re, ne multiplicatæ opiniones confusionem generent, triplex est principalis sententia, quarum cuilibet limitationes ab aliquibus illius Doctoribus adjectas apponemus. Prima ergo sententia ait posterius monasterium recuperare omnia bona priori monasterio ratione ejus religiosi acquisita. Ducitur primò ex *c. unic. 18. qu. 1.* quod probat, spem succedendi parentibus competentem monacho tempore, quo in priori monasterio permanebat transire cum eo religioso in posterius monasterium, & ideo decedentibus parentibus post professionem in hoc posteriori succedere hoc posterius, cùm tamen illa succedendi spes fuerit priori monasterio quæsita, in quod universa religiosi jura per professionem translata sunt. Secundò, quia cum posterioris monasterii sit religiosum hunc alere, consonum rationi est, ut sicut onera sentit, sentiat quoque commodum acquisitionis illorum bonorum. Tandem, quia illa bona transierunt in prius monasterium in personæ profitentis consequentiam, & tamquam ipsi accessoria. Ergo censentur sub ea conditione transferri, quamdiu religiosus in illo moram traxerit, nec ab illo licitè recesserit; accessorium enim sequitur principale. Et ideo hujus sententiæ sunt *Glossa c. quod a te, in fin. cleric. de conjug. & ibi Hostiensis n. 4. Anton. nu.9. Joan. Andr. nu.7. Ancharanus, num. 9. Abbas nu. ult. Cardin. nu. unic. opposit.4. Henr. num.2. & 3. Imola Clement.1. nu.38. de statu monach. idem Anchar. regul. accessorium, nu.11. oppos.6. de regul. jur. in 6. Archid. c.1. num. unic. 17.9.4. & ibi Bellamer. nu.1. Rosell. verb. religio 4. nu.12. Natta consil. 180. nu.8. Angel. verb. monasterium, nu.6. Armil. verb. religio, nu. 17. Menoch. de arbitrar. lib.2. centur. 5. casu 436. à nu.13. usque ad 16. Mandel. consil. 712. num. 2. vol.4. Vincent. Annibald. addit. ad cons. Mandelli 493. vol. 3. num.1. verb. recessit*. Atque ita docent *Abbas, Rosella, & Angel. ibidem*, si religiosus hic ad Episcopatum transeat.

5 Quidam ex his DD. temperant hanc sententiam, ut intelligatur de bonis patrimonialibus acquisitis in priori monasterio: secus de acquisitis propria religiosi industria. Hæc enim posteriora fatentur in priori monasterio, cui religiosi operæ debentur, remansura. Sic *Abbas, Rosella, Angelus, Armilla num. praced. allegati*.

6 Secundò temperant, ut intelligatur de bonis religiosi cum persona transeuntibus tacitè per professionem in monasterium: secus autem de his, quæ tempore ingressus religiosus expressè monasterio donavit. Hæc enim posteriora ajunt priori monasterio non auferenda. Ratio discriminis est, quod priora transeant in personæ consequentiam, & subinde ab ejus perseverantia in religione pendeant: posteriora autem recta via, & independenter à persona. Sic *Glossa, Card. & Natta allegati num. 4.* Quam limitationem admittunt etiam *Abbas, & Rosella ibidem* relati cum hoc temperamento, nisi contemplatione ingressus ea bona religiosus donarit: tunc enim ea quoque recuperabit posterius monasterium, tamquam cessante donationis causa. Addit autem *Abbas* ex conjecturis deducendum, quando contemplatione ingressus donata fuerint, ut quia ipso ingressus tempore, aut proximo donata sunt: secus quando longè antè. Et quando contemplatione ingressus hæc bona donata sunt, tenent etiam ea posteriori monasterio reddenda *Barth. Socin. consil. 222. nu.3. à vers. quibus tamen non obstantibus, vol.2.* addens se nolle disputare, an sint reddenda quoad solum usumfructum, an etiam quoad proprietatem, *Nicolaus de Ubal. de success. ab intestat. 2. p.* ubi de successione regularium, *nn. ult. Redoan. de spoliis ecclesiast. q.8. in princ. n.79. & 80. Tapia, auth. ingressi verb. sua c.6. nu.10. de sacrosanct. Eccles.* dicens, sive ab alio hæc bona contemplatione ingressus sint monasterio donata.

7 Secunda sententia sustinet, bona priori monasterio acquisita remansura apud illud quoad proprietatem: at quoad usumfructum pertinere ad posterius, dum monachus ille in eo vixerit, ne religiosus ille posteriori monasterio onerosus sit. Deducitur ex *c. delapsis 16. quæst.6. & c. si quis rapuerit 27. qu.1. & authent. de sanctis Episcop. §. pennis*. Ex quibus textibus constat usumfructum bonorum posteriori monasterio ratione alimentorum elargiendum esse. Atque ita docent *Speculat.* limitans si posterius monasterium sit inops, *tit. de statu monach. §. ultim. num.10. 9.6. Hostiensis in summa tit. de cleric. conjug. paulo ante fin. vers. si cum licentia, vel invitus Barthol. Socinus cons. 51. num.18. vol.4. Anton. cons.76. monialis quædam Mandos. in praxi signatur. grat. §. translationes, colum. penultim. vers. sed quæro monachus Calderin. cons. 24. nu.unic. paulo post princip. de regularib. Anamias c. quod à te, ad fin. de cleric. conjug. Rebuff. de nominationib. rubri. de regia ad prælaturam nominat. faciend. verb. concessa verb. quid si monachus D. Antoninus 3.p. tit. 16. c.24. §. 3. Menoch.* limitans, quando posterius monasterium est inops, *cons.193. nu. 22. vol.2. Manuel. qq. regular. tom.3. qu.2. artic.27. & 2. tom. sum. c.31. nu.9. & 10.* qui in hoc posteriori loco limitat, ut non totus ususfructus transferatur, sed sola illius pars, quæ ad religiosi alimenta sufficiens est.

8 Ultima sententia (cui tamquam longè probabiliori accedo) ait universa bona priori monasterio acquisita ratione religiosi remansura omnino apud illud, sive ad aliud monasterium diversi ordinis, sive ad Episcopatum transeat. Probatur primo ex *authent. de monach. §. si verò relinquens*, ibi; *si verò relinquens monasterium, in quo conversationem habuerit, ad aliud transeat, etiam se quidem ejus substantia maneat, & vendicetur à priori monasterio, ubi abrenuncians hanc reliquit*. Secundò, quia nullo jure probatur ea bona in prius monasterium sub conditione perseverantiæ in illud translata fuisse: quamvis enim in consequentiam personæ profitentis, & accessoriè cum illa transierint; at translatio est absoluta, ac prorsus à futuro translationis personæ eventu independens: quippe *auth. ingressi, C. de sacrosanctis Ecclesiis*, absolutè dicitur, per professionem omnia bona profitentis dedicari monasterio. Quare jure illo ad perfectè, & absolutè acquisita prius monasterium privari non debet ob transitum religiosi ad aliud. Tertiò, quia cum posterius monasterium loco prioris subrogetur, illique deservire, ac in posterum acquirere religiosus ille debeat, tamquam omnino à priori exemptus, posterioris est illum alere; nec onerosus monasterio dicitur, astrictus ipsi inservire, & acquirere. Et confirmatur, quippe pater universo alendi filii dati in adoptionem onere liberatur, illo in adoptantem translato, *l. onera, ff. de adoption.* Ergo similiter religiosus hic liber effectus à prioris religionis jugo per professionem in posteriori, est ab hoc posteriori alendus, nullus alimentorum expensis à priori petitis. Et ideo hanc sententiam dicit forsam esse veram *Lapus allegation. 61. quidam Franciscus* eam tenent *Joan. Andr. c. fin. num.3. de regularib. & ibi Cardin. num.2. qu.4. Aretinus l. si quis mihi 25. §. servum, num.2. ff. acquirend. hæred. Abbas d. c. fin. num.3. Ananias, num.8. Henric. num.4. & c. cum olim el 2. num.7. de privileg. Imola Clem. fin. num.8. qu.7. de electi, Anchar. cons. 352. fin. Paulus l. inter antiquam, num.2. C. de usufruct. Everard. in suis topic. loco à servo ad monachum, num.5. Petrus de Petrus tract. de mutat. status Eccles. c.1. num.3. Nicolaus de Ubaldis de success. ab intest. 2. p.* ubi de successione regularium, *nu. ultim. Redovan. de spol. Eccles. q.8. in princip. num. 79. & 80. Bellamera c. quanto, num. 11. de offic. ordin. Baldus novell. de dote, part.1. num.10. Sylvest. verb. religio, 4. qu.10. Tabiena verb. religio. q.27. num.28. Covarr. c.1. à num.20. usque in fin. de testament. Navarr. comment.4. num.24. vers.11. de regularib. & lib.3. consil. in 2. edit. de regular. cons.55. num.9. Rinald. junior consil. 342. num.25. vol.3. Alvarad. de conjecturata mente testat. lib.2. c.3. in princip. num.7. Tapia authent. ingressi, verb. sua. c.6. num.7. C. de sacrosanct. Eccl. Anastas. Germonius de sacror. immun. lib.3. c.4. num.37. Spino specul. testam. glossa 12. princip. nu.23. & 24. & in rubric. gloss. 6. n.3. Surdus de aliment. tit.6. q.27. num.8. Emmanuel Sà in summa verb. religio, num.35. Molina tomo 1. de justic. disp.140. col.13. vers. quando religiosus. Azor. tom.1. instit. moral. lib.12. c.15. qu.3. & c.16. qu.8. Manuel qq. regul. tomo 3. q.5. art.5. & tomo 2. q.79. art.2. 1.*

9 Quæ sententia procedit etiam de acquisitis in sæculo, vel in posteriori monasterio usque ad professionem: quippe usque ad illam non est perfectè translatus ad posterius monasterium, & ideo acquirit priori, cujus est verus religiosus, donec in posteriori profiteatur. Idque probari potest ex *l. statu liberum 9. ff. de statu liber*, ubi decernitur, statu liberum, id est, ut dicitur *l.1. ff. eod. tit.* cui in diem, aut sub conditione relicta est libertas, esse servum ante illius dici, & conditionis adventum. Cùm ergo hic sola professione in posteriori reddatur liber à priori, ante professionis